

BONNEFONS (Jean)

PANCHARIS

et poemata varia
(2128 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue en 1727, chez Westenianus, à Amsterdam. Sa qualité inégale (mise en évidence par la métrique) nous a constraint à faire un certain nombre de corrections.

N.B. Le signe > placé devant un titre indique que cette pièce a été adressée à Bonnefons par un autre poète.

PANCHARIS JOANNIS BONEFONII ARVERNI,

AD JACOBUM GUELLIUM, REGIS PROCURATOREM.

SE AB AMORE REVOCARI NON POSSE SCRIBIT.

P_0A	v.1	O Guelli juvenum eruditiorum
	2	vel ipsa invidia fatente princeps,
	3	quid Bonefius hic tuus negoti
	4	gerit, qui valet, anxior requiris ?
	5	Ludo carmine quo tener Catullus
	6	lusit, et teneri aemulum Catulli
	7	ille Plinius atque Calvus ille,
	8	quo tu in carmine si tui Bonefi
	9	et salem minus et minus leporem
	10	certe nequitiam satis probabas.
	11	Et nunc molle mihi et suave quiddam est
	12	ridentes oculos meae pueriae
	13	ad caelum lepido vocare versu
	14	eosdem quoque nunc ferocientes
	15	juvat stringere saeviore iambo.
	16	Quid tu, inquis, Venerem jocosque cantas,
	17	cui Phoebi sine more saevientis,

18 Ille immane sonans minatur arcus ?
 19 Canto. Nam quid ego illa pertimescam,
 20 quibus me juvet interiisse, tela ?
 21 Quem Cupidineae nocentiores
 22 premunt ossibus intimis sagittae,
 23 et nocentius omnibus venenum,
 24 quo velut Tityi jecur renascens,
 25 sic semper pereo ut perire possim.

AD ANTONIUM COTELLUM SENATOREM PARISIENSEM.

PANCHARILLAE FORMAE ELEGANTIAM DESCRIPTA, QUA SE CAPTUM AIT.

P_0B v.1 Nam quid dissimulem ? Illa, me Cotelle,
 2 nympharum domina, illa Pancharilla,
 3 prima militiae hujus insolentem,
 4 et Cupidineae rudem palaestrae
 5 cepit flammeolis suis ocellis,
 6 vinxit aureolis suis capillis.
 7 Ut vidi, furor et malignus error,
 8 me mi surpuit : ille me genarum,
 9 fulgor lubricus, ille Pancharillae
 10 pudor virgineo natans in ore :
 11 risus ille decens, et ille candor,
 12 fuci nescius, ille me vetusti
 13 splendor sanguinis, illa liberalis
 14 indoles animi, illa mens senilis
 15 aetate in tenera tenorque constans,
 16 ille corporis elegantioris,
 17 cultus simplicior et illa vultus,
 18 majestas placida et serenus ardor,
 19 ille frontis honos patentis, ille
 20 me supercili i nigellus arcus,
 21 dentiumque duplex eburnus ordo,
 22 et menti bifidi decor venustus,
 23 spira illa auriculae rotundioris ;
 24 illa blaesula, mollicella verba,
 25 illa me capitis nitens columna,
 26 emendatior omnibus columnis,
 27 castigatior omnibus figuris :
 28 illae marmore purius nitentes,
 29 papillae teretes suas Diana,
 30 et quas esse suas velit Dione,
 31 obstrinxere sibi artiore vinclo.
 32 Illo carcere pectoris reposti,
 33 illis me pedicis profundi amoris,
 34 aeternum sibi Pancharilla vinxit,
 35 o custodia carceris benigni !
 36 O dulces pedicae, o beata vincla ?

BASIUM I.

QUO PETIT, UT PANCHARIS IPSI BASIIS ANIMAM EXSUGAT.

P_1 v.1 Nympha, bellula, Nympha mollicella,
 2 cujus in roseis latent labellis,
 3 meae deliciae, meae salutes ;
 4 nympha, quae veneres venusta tota,
 5 omnes omnibus una surpuisti,
 6 amabo mihi basium propina,
 7 quo tandem meus acquiescat ardor :
 8 ah, ne basiolum mihi propina,
 9 nam contra magis excitatur ardor,
 10 sed mi suge animam halitu suavi,
 11 dum nil quicquam animae mihi supersit.
 12 Ah ne, ne mi animam puella suge :
 13 namque exsors animae quid ipse tandem
 14 quid sim vana nisi futurus umbra,
 15 et errans Stygiis imago ripis ?
 16 Infaustis nimis, ah nimisque ripis,
 17 quae nullam venerem et suavitatem,
 18 nullas delicias jocosque norunt.
 19 Imo tu mi animam puella suge,
 20 suge, dum mi animae nihil supersit
 21 dumque molliculi comes Catulli,
 22 dumque molliculi comes Tibulli,
 23 eam pallidulas et ipse ad umbras
 24 et errem Stygiis imago ripis.
 25 Tum vicissim ego Pancharilla sugam
 26 tuae florem animae suave olentis
 27 dum nil quicquam animae tibi supersit
 28 dumque Lesbolaes Catullianae,
 29 dum comes Nemesis Tibullianae
 30 eas pallidulas et ipsa ad umbras,
 31 et erres Stygiis imago ripis.
 32 Namque illic etiam suos amores
 33 exercere piae feruntur umbrae,
 34 et illic Nemesis suam Tibullus,
 35 et illic quoque Lesbiam Catullus
 36 fertur pallidulo ore suaviari.
 37 Sic illic, mea Pancharilla, tete
 38 pallens pallidulam suaviabor,
 39 illi ut primi etiam duces amoris
 40 palma jam veteri superbientes,
 41 et se a me fateantur et stupescant
 42 victos multivola osculatione.

BASIUM II.

IN ACUM, A QUA PETIT,
 UT PECTUS AMICAE POTIUS QUAM DIGITOS IMPOSTERUM CUSPIDE PUNGAT.

P_2 v.1 Dic Acus mihi, quid meae puellae
 2 illa candidula, illa delicata
 3 albis candidior manus ligustris,
 4 quid laeves digitii tenellulique
 5 tantum commeruisse vel patrasse
 6 possunt, ut toties et hos et illam
 7 configas stimulo ferociente ?

8 Ah, ne molliculas manus inepta
 9 ne laeves digitos et immerentes,
 10 At pectus stimulo acriore punge,
 11 pectus durius omnibus lapillis,
 12 durius scopulisque rupibusque
 13 hic stylum altius altiusque fige,
 14 hic acuminis experire vires.
 15 Quod si mollieris meam puellam,
 16 Dii, quantam hinc referes superba laudem !
 17 Hac te cuspide vulnerasse pectus,
 18 quod nullis potuit Cupido telis.

BASIUM III.

AD CATELLUM PANCHARIDIS SUAE, CUI FORTUNAM INVIDET.

P_3 v.1 Quis barbatule, quis tuam Catelle
 2 non tibi invideat beatitatem :
 3 quem mulcere manu solet nitenti,
 4 et solet tenero sinu fovere
 5 illa lux animi Diana nostri.
 6 Cui tot blanditias, tot usque et usque
 7 lusus ingeniosa factitare :
 8 quem sic deperit impotente cura
 9 ut sive illa domi quieta degat,
 10 seu foris paret ambulationem,
 11 unum te socium domi forisque,
 12 unum te comitem viae requirat :
 13 et cum sese epulis paravit illa,
 14 tu conviva Deae advocaris usque :
 15 tum dapes tibi delicatores
 16 hinc et inde legit, tibique lectas
 17 blanda porrigit et ministrat uni.
 18 Mox ubi est epulis fames adempta
 19 novis deliciis beare certat.
 20 Nunc te lacteolae inserit papillae,
 21 nunc humentibus admovet labellis,
 22 et tot prodiga basiationes,
 23 uni nectareo propinat ore,
 24 quot nec Lesbiolam suam poposcit,
 25 vates multivolus Catullus ille,
 26 Catullus pater osculationum.
 27 Quid beatius, o tener Catelle,
 28 quid his amplius expetisse possis :
 29 avarus licet improbusque voti ?
 30 At beatius ampliusque quiddam,
 31 dat Diana tibi, dat illa quiddam,
 32 quod sperare licet diis nec ipsis.
 33 Adsciscit socium tori Diana,
 34 et te virgineo locat cubili.
 35 Felix o nimis, et nimis Catelle,
 36 amate usque adeo meae puellae,
 37 quis barbatule, quis Catelle tantas
 38 non tibi invideat beatitates,
 39 queis sperare nefas beatiores.

BASIUM IV.

EXSECRATUR DENTES, QUIBUS INTER OSCULANDUM PAPILLAS DOMINAE LAESE RAT.

P_4 v.1 O dens improbe, dire, ter scelest,
 2 dens sacerrime, dens inauspicate,
 3 tun" tantum scelus ausus ut papillas,
 4 illas Pancharidis meae papillas,
 5 quas Venus veneratur et Cupido,
 6 feris morsibus ipse vulnerares ?
 7 Nec tecum reputas miselle, quanti
 8 in te numinis excitaris iras ?
 9 Qui dum Pancharidem meam laces sis,
 10 omnes et Veneres, jocos, amores,
 11 et quantum est Charitum simul laces sis.
 12 At tu hoc pro scelere impioque facto,
 13 ne mi irascere blanda Pancharilla,
 14 namque testor ego tuos ocellos,
 15 amo quos ego plus meis ocellis,
 16 et testor Veneris tuumque numen,
 17 quo majus mihi sanctiusque nullum,
 18 non has laedere mens suit papillas,
 19 non has mens mihi Diva vulnerare.
 20 Verum ut se exseruit mihi superbis,
 21 tuarum ille decor papillularum
 22 et has impulit ardor osculari,
 23 ipse ardentius aestuans furensque,
 24 compressi has nimium atque vellicavi.
 25 Hoc meum scelus impiumque factum est,
 26 pro quo mille adeo subire poenas,
 27 pro quo mille velim subire caedes :
 28 si tantum scelus impiumque factum
 29 ulla umquam queat expiare poena,
 30 ulla umquam queat expiare caedes.
 31 At ne hoc pro scelere impioque facto,
 32 ne mi irascere blanda Pancharilla,
 33 ne mi irascere, cui superba forma
 34 peccandi imposuit necessitatem.

BASIUM V.

PRAEMONET ANIMUM SUUM, UT CAUTE CUM PANCHA RIDE AGAT.

P_5 v.1 Quo mi sic Animus repente fugit ?
 2 Fugit, quod reor, ad meam puellam,
 3 ad illa aurea vincla convolavit.
 4 Ah, quo in exitium ruis, miselle ?
 5 Hi quos aureolos putas capillos,
 6 quae tibi aureolae comae videntur,
 7 non sunt aureolae comae aut capilli,
 8 sed sunt vincula, compedes, catenae,
 9 sed sunt retia nexilesque casses,
 10 quibus si semel occupatus haeres,
 11 peribis, moneo, ah miser peribis,
 12 nec ad me poteris miser redire.

13 Usque ab unguiculis meam pererres
 14 totam denique Pancharin retractes,
 15 illius licet ebrius lepore
 16 incubes oculis, labris, papillis,
 17 verum cautius invola capillis.
 18 Nam praedico iterumque tertiumque
 19 his si retibus occuperis umquam,
 20 peribis miser, ah miser peribis
 21 nec ad me poteris miser redire.

BASIUM VI.

AD MATTHIAM BRUERIUM, PROPRAE TOREM PARISIENSEM.
IN AMORE JAM INCEPTO PERSEVERATURUM SCRIBIT.

P_6 v.1 Quid tu me indomitum, Brueri, compescere Amorem
 2 ardoremque animi dissimulare jubes ?
 3 Hei mihi, difficile est animum tractare furentem,
 4 difficile urentes occuluisse faces.
 5 Ecquid ego intuear latus formosa puellae
 6 lumina, flammeolis irrequieta notis ?
 7 Intuear niveo turgentes orbe papillas,
 8 aureolasque comas, marmoreosque sinus :
 9 nec liceat libare sinus, teretesque papillas,
 10 nec liceat cupido figere dente genas ?
 11 Non oculis aufim, non oscula ferre capillis
 12 oscula vel regnis anteferenda mihi.
 13 Ah, pereat qui sic moderari pectoris aestus,
 14 ah pereat qui sic latus amare potest.
 15 Excubet inde licet durae custodia matris,
 16 excubet inde viri suspiciose fides.
 17 Garriat hinc vulgus tacitoque immurmuret ore,
 18 et toto fiam fabula nota foro.
 19 Nec duras matrum excubias, vel torva mariti
 20 lumina, nec vulgi murmura vana moror.
 21 Sint fora, templa, viae, portus, populosa theatra,
 22 et sint ardoris conscia rura mei.
 23 Sic vixerat patres, rex quis aurea virgo,
 24 et quis falciferi sceptra beata senis.
 25 Errabant mixti nudis per rura puellis,
 26 et suus haerebat cuique perennis amans.
 27 Longos alloquiis soliti producere soles,
 28 mille et blanditias, mille ciere jocos.
 29 Gaudia ducebant nullo intercepta pavore,
 30 gaudia quae Cyprio tota liquore madent.
 31 Dissimulent simulentque alii, et pro tempore fingant,
 32 haec me libertas vitaque avita juvat.
 33 Nam quid nos casto velum obtexamus Amori ?
 34 Pro Venus ! An scelus est numen amare tuum ?
 35 Nec dii ergo sceleris, sceleris nec Juppiter expers,
 36 denique pars caeli crimine nulla vacat.
 37 Quis Phoebi Chionem, quis Bacchi Gnosida nescit ?
 38 Quis falsi raptus per freta longa bovis.
 39 Cui vel olorini non cognita furta tonantis
 40 aut ducta Herculea mollia pensa manu ?

41 Vivamus, mea lux, Divumque exempla sequamur :
 42 ire juvet quo nos aestus amoris agit.
 43 Si scelus hoc, peccem Divis auctoribus ultro,
 44 nec me paenitear criminis esse reum.

BASIUM VII.

INVITAM OSCULABITUR.

P_7 v.1 Amabo, mea lux, mei lepores,
 2 meum melliculum, mei furores,
 3 hos meique animi, meique cordis,
 4 sine exosculer illices ocellos.
 5 Sine exosculer aureos et illos,
 6 quos Apollinis aureisque Bacchi
 7 ausim crinibus anteferre crines.
 8 Quid tu ingrata nimis, nimisque dura,
 9 id tu praemioli tuo poetae ?
 10 Id solacioli negas amanti ?
 11 An mi delicias facis jocosa ?
 12 Quodque plus cupis, hoc negas roganti.
 13 Invita, ut videare mi dedisse ?
 14 Invitam licet ergo te prehendam,
 15 et collo injiciam manus, et ora
 16 conseram oribus, et labella labris ;
 17 et neges licet usque pernegesque,
 18 lucterisque mihi, et mihi mineris,
 19 usque ad basia mille basiabo,
 20 tum me morsibus hinc et inde figas,
 21 et os unguibus hinc et inde vellas,
 22 nec morsus metuam unguiumve sulcos,
 23 quin quanto altius unguibus notaris,
 24 quanto fixeris acriore morsu,
 25 tanto basia pressiora figam,
 26 tanto et ipse premam artiore nexu.
 27 O mellitula proelia, o suaves
 28 dentium mihi morsicationes,
 29 vis, o Panchari, me beare ? Semper
 30 mihi basia pernega roganti,
 31 semper ut rapiam fruarque raptis.

BASIUM VIII.

AMICA SALUTEM PRECATUR.

P_8 v.1 Salve melque meum atque amaritudo,
 2 otiumque meum, negotiumque,
 3 meus Phosphorus Hesperusque salve :
 4 Salve luxque mea et meae tenebrae,
 5 salve errorque meus meusque portus.
 6 Salve spesque mea et mei pavores.
 7 Salve nilque meum, meumque totum,
 8 sed quid pluribus ? O ter ampliusque,
 9 tota Pancharis Acharisque salve.

BASIUM IX.

VULT UT DOMINA ASSIDUE IPSUM EXOSCULETUR.

P_9 v.1 Da mi ocellule, da tenelle mi flos,
 2 da columba mea atque turturilla,
 3 tot incendia cordis aestuantis,
 4 compescam tepido imbre basiorum :
 5 da rore humiduli tui labelli,
 6 rigem pectoris igneum furorem.
 7 O heu quid volui ? Heu puella parce,
 8 et baec flammea submove labella,
 9 queis auges animae furentis aestus,
 10 et torres magis, et magis peruris,
 11 ut plane misero nihil supersit
 12 quam mox in tenues eam favillas.
 13 Ah, quid flammea submoves labella ?
 14 Osque ab ore meo repente vellis ?
 15 Profer flammea, profer haec labella,
 16 et torre assiduo igne basiorum
 17 istis me juvat ignibus perire,
 18 Oetaeo veluti rogo probatus
 19 hinc caelum novus Hercules revisam.

BASIUM X.

MIRATUR SUAVITATEM ET AMARITUDINEM PANCHARILLAE.

P_10 v.1 Cum sis mellea tota, tota suavis,
 2 ut mellita magis nec ipsa mella,
 3 nec sit suavior ipsa suavitudo :
 4 qui tot spicula delibuta felle
 5 evibras oculis, tuisque labris
 6 tantam amaritiem mihi propinas ?
 7 Rursus tu quoque, Pancharilla, tota
 8 cum sis fellea, sis amara tota,
 9 mage ut fellea sint nec ipsa fellas,
 10 non amarior ipsa amaritudo :
 11 qui tam dulcia mella basiorum
 12 tam dulcem ambrosiam mihi labella
 13 propinrant tua ? Qui tuis ocellis
 14 in me spicula tam benigna vibras ?
 15 An vis ista tui est, Puella, ocelli ?
 16 An vis ista tui est, Puella, labri ?
 17 Ut me felle beent suaviore,
 18 ut me melle necent amariore
 19 o amarities nimis suavis !
 20 O amara nimis suavitudo !

BASIUM XI.

EXOPTAT SE FLOREM ILLUM ESSE, QUO UTERETUR AMICA.

P_11 v.1 Ergo floscule, tu meae Puellae
 2 hoc florente sinu usque conquiesces ?
 3 Ergo tu Dominae meae papillis
 4 beatus nimis insidebis usque ?
 5 O si, floscule, mi tua liceret
 6 ista sorte frui, et meae puellae
 7 incubare sinu, atque desidere
 8 hos inter globulos papillularum
 9 non sic lentus inersque conquiescam,
 10 non sic insideam otiosus usque :
 11 sed toto spatio inquietus errem
 12 et feram sinui, feramque collo
 13 mille basia, mille et huic et illi
 14 impingam globulo osculationes.
 15 Nec mihi satis haec putas futura ;
 16 namque et discere curiosus optem
 17 quid discriminis inter hunc et illum,
 18 et quantus tumor hujus illiusque,
 19 quantum albedine praestet hic vel ille,
 20 quantum duritie hic vel ille vincat,
 21 sinisterne globus, globusne dexter
 22 figura placeat rotundiore :
 23 an dexter globus, an globus sinister
 24 papilla rubeat rubentiore
 25 explorem quoque quo beata ducat
 26 illa semita quae globos gemellos
 27 sic discriminat, et subesse clamat
 28 mellitum magis elegansque quiddam
 29 indagem quoque quicquid est latentis,
 30 et labar tacitus ferarque sensim
 31 usque Cypridis ad beata regna.
 32 At mi Pancharidis meae papillas
 33 nec summo licet ore suaviari,
 34 nec levi licet attigisse palma,
 35 o sortem nimis asperam atque iniquam !
 36 Tantillum illa negat mihi petenti,
 37 tantillum illa negat mihi scienti
 38 quae tantum huic tribuit nec id petenti
 39 quae tantum huic tribuit nec id scienti.

BASIUM XII.

BEATUM SE PRAEDICAT, SI DOMINA SUA ILLIUS MEMOR SIT.

P_12 v.1 I cor ocios ad meam puellam,
 2 dic ut me coquit ardor insuhetus,
 3 dic ut mille premunt amaritates,
 4 dic ut imbre mihi perenniore
 5 madent lumina : dic ut ipse vitam,
 6 hic traho anxius inquesque curis.
 7 Sed inter tamen has amaritates,

8 has inter lacrimas et inter ignes,
 9 si tantum meminit puella nostri,
 10 dic me vivere vel nimis beatum.

BASIUM XIII.

'PARABOLE' INSTITUIT INTER COMETAM ET PANCHARIDEM.

P_13 v.1 Qualiter exoriens ferali crine Cometes,
 2 in sese populorum acies convertit et ora
 3 undique, et insolito percussas lumine mentes,
 4 territat : horrescunt dirae formidine cladis
 5 mortales, certique pavent incendia belli.
 6 Sic se ubi Pancharidis puro jubar ore coruscans,
 7 exserit, et caeli major micat ignibus ignis,
 8 haerent obtutu populorum lumina, et alto
 9 corda pavent suspensa metu, bellique necisque,
 10 flammarumque animis trepidantibus incubat horror.

BASIUM XIV.

SPERNIT DOMINAM PROPTER FASTUM ANIMI.

P_14 v.1 Sic me Neaera contumacior spernis ?
 2 Sic despicaris et fero fugis corde ?
 3 Fugis superba, et vota supplicis rides ?
 4 Ridebo et ipse tete, et in vicem durus,
 5 te despicabor perfida et tuos fastus,
 6 fastu retundam ; jamque tu mihi longum
 7 vale, Neaera, indigna cantibus nostris,
 8 indigna Musis. Marsias tibi semper,
 9 tuos habeto, teque Marsiae semper,
 10 gens inficeta, plena ruris, insulsa,
 11 aversa Musis. Rursus o mihi rursus,
 12 vale, Neaera, dedecus puellarum,
 13 urbiske probrum. Nam quid ipsa me spernis,
 14 quid despicaris, quem Turilla formosa,
 15 Turilla blanda, flos Turilla Nymphaeum,
 16 complexa sponte vindicatque jamdudum,
 17 sibique poscit : quaeque jam meo cantu,
 18 superba tollit arduum caput caelo,
 19 et se Corinnis seque Lesbiis confert.
 20 At tu, Neaera, quam tuam vicem quondam
 21 tacita dolebis ? Et tuum argues fastum ?
 22 Quam me requires et vocabis incassum ?

BASIUM XV.

CONQUERITUR FUGAM PANCHARIDIS.

P_15 v.1 Quo sic, Diva, fugis ? Quid sic deserta pererrans,
 2 avia, nec nostri, nec memor ipsa tui ?
 3 Non metuis Fauni ne dum incomitata vagaris,

4 injiciant rapidas in tua colla manus ?
 5 Hos tu, diva, tuis longe complexibus arce,
 6 nec patere ingenuis oscula ferre genis.
 7 Nec vero sic te oblitam nostrique tuique,
 8 crediderim, licet est suspiciosus amor.
 9 Ut quibus effetos artus depasta senecta est,
 10 queis vires penitus diriguere gelu.
 11 Et denso vestita quibus praecordia villo,
 12 et suffusa genis hispida barba riget.
 13 Anteferas mea vita mihi, cui corpore sanguis
 14 integer, et pingit prima juventa genas.
 15 Quamquam adversa mihi et nimium contraria votis,
 16 non adeo adversam te tamen esse putem.
 17 At vos vel manibus Fauni violare puellam
 18 parcite, delicias nec temerate meas.
 19 Furtiva nec falce meas invadite messes,
 20 totus ut hujus ego, tota puella mea est.
 21 Sed quid te deserta juvat per lustra vagari
 22 totne per anfractus me, mea vita, fugis ?
 23 I, fuge per nemora et saltus, per inhospita tesqua :
 24 per nemora et saltus, per quoque tesqua sequar.
 25 Invia nulla mihi fuerit via, sive natatu
 26 flumina, seu cursu vis superare juga.
 27 Nec me vel densus lapidosae grandinis imber
 28 arceat, aut rapidi vis furiosa Noti.
 29 Nec me flagranti revocarit Sirius astro,
 30 nec nivis aeternae terra adoperta gelu.
 31 Nil me terruerit, quin quod Natura pavorque
 32 ingenitus refugit, sponte capasset Amor.
 33 Fallor ego ? Haud nostros sic aversaris amores.
 34 At tentare lubet quam mihi certa fides.
 35 Non igitur pulsata mihi tot planctibus astra,
 36 non mihi tot silvis carmina dicta tuis.
 37 Tot suscepta mihi discrimina caeca viarum,
 38 tot superati aestus, tot superatae hiemes.
 39 Tot mihi decursae per opaca silentia noctes,
 40 in te sunt animi pignora certa mei ?
 41 His licuit tentasse satis. Jam parce labori
 42 ingrato, ingratae, lux mea, parce fugae.
 43 Sed fugit ah ventisque preces ludibria mandat,
 44 o nimium sortis aspera fata meae !
 45 Sic ego sum durae natus servire puellae ?
 46 Sic erit immritis semper ut angat amor ?

BASIUM XVI.

EXAGGERAT FELICITATEM ET INFELICITATEM IN OSCULANDO.

P_16 v.1 Donec pressius incubo labellis
 2 et diduco avidus tuae, Puella,
 3 flosculos animae suaveolentes,
 4 unus tum videor mihi deorum
 5 seu quid altius est beatiusve.
 6 Mox ut te eripis, ecce ego repente
 7 unus qui superum mihi videbar,

8 seu quid altius est beatiusve
 9 Orci mi videoor relatus umbris
 10 seu quid inferiusve tristiusve.

BASIUM XVII.

EXPETIT MODUM IN OSCULANDO.

P_17 v.1 Tune Pancharidis meae labellis,
 2 infelix anime, ausus incubare ?
 3 Ausus sugere mella basiorum ?
 4 Ausus nectare delicatiore
 5 tete proluere : heu, miselle, parce,
 6 nam dum sugere mella, dumque nectar
 7 credis ebibere, ebibis venena,
 8 et incendia sugis et furores.
 9 Non sentis etenim ut tuos per artus
 10 erret flamma furens, latensque virus
 11 serpat in jecur intimasque venas,
 12 dum tu incautior hinc et inde sugis
 13 et hauris dominae meae labella.
 14 Maligna, ah, dominae nimis labella,
 15 quae me tam miseris modis habetis.
 16 Ne saevite adeo labella bella.
 17 Saeviistis satis atque torruistis,
 18 nunc restinguite flammeos calores,
 19 nunc disperdite fluctuans venenum :
 20 paulum basia vestra temperate.
 21 Volo basia, non venena et ignes.

BASIUM. XVIII.

EXECRATUR PANCHARIDIS PULCHRITUDINEM, QUA CAPTUS ERAT.

P_18 v.1 Salvete aureolae meae puellae
 2 crines aureolique crispulique.
 3 Salvete et mihi vos puellae ocelli,
 4 ocelli improbuli protervulique.
 5 Salvete et veneris pares papillis
 6 papillae teretesque turgidaeque,
 7 salvete aemula purpurae labella,
 8 tota denique Pancharilla, salve.
 9 Quin vos aureoli perite crines,
 10 et vos improbuli perite ocelli,
 11 Vos et turgidulae perite mammae,
 12 perite aemula purpurae labella,
 13 tota denique tota tu perito
 14 qua visa perii repente totus.

BASIUM XIX.

DICIT LACHRYMAS PANCHARILLAE NON ESSE LACHRYMAS,
SED FLAMMAS ET INCENDIA AMORIS.

P_19 v.1 At mi dicite lacrimae tenellae,
2 vos quae candidulae meae puellae,
3 os argenteolo rigatis imbre,
4 qui fas nascier his puellae ocellis,
5 qui toti igneoli undequaque spargunt,
6 tot incendia missilesque flammas ?
7 Verum fallor ego, et tuae, Puella,
8 quae mihi lacrimae et putantur imbris,
9 non sunt hae lacrimae aut aquosus imber,
10 sunt incendia flammeaeque guttae
11 quae me sic adeo intime perurunt,
12 consumpta ut rapidi caloris aestu,
13 jam mi pectora tota colliquescant.
14 Quid jam non igitur miselli amantes,
15 sperent aut metuant quibus creare,
16 undam flamma potest et undaflammam.

BASIUM XX.

SCRIBIT SE NUMQUAM POSTHAC ADITURUM PANCHARILLAM.

P_20 v.1 Quid, o Cupidinis duces,
2 ocelluli lascivuli,
3 me prodidistis inscium,
4 ausi tueri fixius
5 vultus puellae lubricos ?
6 Duorum nitore, ceu novi,
7 percensus ictu sideris,
8 humi repente corrui.
9 Quid, o pedes audaculi,
10 me sic iistis perditum
11 dum me vagantem sistitis
12 ad illa divae limina
13 ubi furore saucii,
14 hanc paene vitam liquimus ?
15 Quid o manus protervulæ
16 sic irruistis in sinum
17 et lacteas papillulas,
18 ut hinc amoris diffluens
19 serpensque sensim in intimos
20 artus venenum cor mihi,
21 pectusque totum absumeret ?
22 At ipse vestram comprimam
23 ferocientem insaniam,
24 et turgidos licentia
25 istos domabo spiritus.
26 Nam vos pedes audaculi
27 premam deinceps compede.
28 Et vos manus protervulæ
29 artabo duris vinculis.

30 Et vos ocelli fascia
 31 lascivientes obtegam,
 32 ut nec tueri ocelluli
 33 vultus puellae lubricos,
 34 nec involare vos manus
 35 in lacteas papillulas,
 36 nec illa posthac vos pedes
 37 possitis umquam sistere
 38 ad Pancharillae limina.

BASIUM XXI.

PETIT A CUPIDINE UT FINEM BASIIS IMPONAT.

P_21 v.1 An non, saeve puer, satis superque est
 2 tot me pectore parturire flamas ?
 3 Tot ignes premere intimis medullis,
 4 ni suspiria ventilentque flamas
 5 accendantque animi aestuantis ignes ?
 6 Jam suspiria, jam modum furori
 7 tandem ponite : sat meos per artus
 8 furit flamma, furit malignus ignis.
 9 At vos, o lacrimae profusiores,
 10 adeste, et miserum levate amantem ;
 11 adeste atque animi aestuantis ignes
 12 contra immergite largiore rivo.
 13 Heu ! Qui me lacrimae levare possint
 14 quive exstinguere tot caloris aestus,
 15 quas incendia, quas mei voraces
 16 flammarum pectoris ebibere totas ?

BASIUM XXII.

CONQUERITUR COR SUUM A PANCHARIDE ESSE FURTO ABLATUM.

P_22 v.1 Errabam in silvis, erranti retia mille
 2 mille puella plagas insidiosa parat.
 3 Occupat incautum, corque in sua retia tandem
 4 trudit, et aeterna compede dura premit.
 5 Hei mihi, sic casses, sic vincula nectis amanti,
 6 hei mihi sic misero cor violenta rapis ?
 7 Non queror esse tuum : sed eram quod sponte daturus
 8 cor mihi te furto surripuisse queror.

BASIUM XXIII.

QUERITUR DE PANCHARIDE, QUOD ILLA SIT SAEVIOR MALIGNIORQUE
TONITRU ET FULMINE.

P_23 v.1 Veni ad Panchariden meridiatum,
 2 cum mox insolito fragore caelum
 3 concussum tonat, igniumque late
 4 trisulcis jaculis coruscat aether.

5 Illa femineo pavore languens
 6 ruit protinus in sinus amantis :
 7 et "Serva miseram, inquit illa, serva."
 8 Ego sollicitam et nimis paventem
 9 sustentans gremio : "Quid, o puer,
 10 quid me poscis opem, jubesque tete
 11 ut servem, nimium meticulosa,
 12 quae sic fulgura vana pertimescis,
 13 tonitrusque paves inane murmur.
 14 Quin meme miserum puer serva,
 15 in quem letiferis tuis ocellis
 16 multo fulgura tu maligniora,
 17 multo fulmina saeviora vibras."

BASIUM. XXIV.

COMPARATIONEM FACIT INTER SEMETIPSUM, ET ROSAM RUBENTEM ET PALLENTEM.

P_24 v.1 En flores tibi mitto discolores,
 2 pallentemque rosam et rosam rubentem.
 3 Illam cum aspicies, miselli amantis
 4 puta pallidulos videre vultus.
 5 Cum tueberis hanc rubore tinctam,
 6 putes igne rubens cor intueri.

BASIUM XXV.

VULT UT PANCHARIS EODEM OCULO PEREAT, QUO ILLE PERIIT.

P_25 v.1 Amabo, hunc mihi commodes ocellum,
 2 hunc tuum improbum puer ocellum,
 3 qui tot tela vibrat, vibratque flamas.
 4 Quid acturus eo, Puer, quaeris ?
 5 Ut hinc tela petam, petamque flamas,
 6 quibus quot perii misellus olim,
 7 tot et tu pereas misella telis,
 8 tot et tu pereas misella flammis.

BASIUM XXVI.

AD D. FRANCISCUM MYRONEM, SENATOREM PARISIENSEM.
 QUALEM VELIT AMICAM.

P_26 v.1 Sit in deliciis puer, Myro,
 2 quae claris radiat superba gemmis,
 3 quae monilibus atque margaritis
 4 tota conspicua atque onusta tota est,
 5 sit in deliciis amoribusque,
 6 quae creta sibi, quaeque purpurisso,
 7 et beneficiis colorat ora :
 8 placet, Myro, mihi puer simplex,
 9 cui nativa genas rubedo pingit,
 10 nativusque pudor ; placet puer

11 ore virgineo et decente cultu,
 12 artis nescia negligensque fuci.
 13 Placet denique quae nihil monilis,
 14 nil gemmae indiga, nilque margaritae,
 15 pollet ipsa satis suapte forma.

BASIUM XXVII.

AD EUMDEM. CONQUERITUR PERFIIDIAM ET INCONSTANTIAM PANCHARIDIS,
 ET SUBJUNGIT SE ILLAM TAMEN AMATURUM,
 QUAMVIS ALII VIRO, MILITI PUTA, NUPSERIT.

P_27 v.1 Aspice quam dubia, Myro, me verset arena.
 2 Aspice quos ludos ludere suevit Amor.
 3 Illa suis quae plus oculis me nuper amabat,
 4 alterius nunc est facta puerilla viri.
 5 Ah, genus instabile et malefidum femina nomen,
 6 quam sibi constantem non videt una dies !
 7 Haec erat illa fides, qua tu jurare solebas
 8 te propriamque mihi perpetuamque fore ?
 9 Sed non fallacis querimur perjuria linguae,
 10 non querimur laesos saepius ore deos.
 11 Quae sit facta diis, sit diis injuria curiae,
 12 quos video ultores post caput esse tuum.
 13 Te queror indigni te militis esse maritam,
 14 te queror ingenuam barbara vincla pati.
 15 Ah mihi tu poteras victrix praefigere leges,
 16 jura mihi poteras imperiosa dare.
 17 Nec leges mihi turpe tuas, et jura subire,
 18 parere imperiis nec mihi turpe tuis.
 19 Rusticus est nimium, verique ignarus amoris,
 20 quem pulchrae dominae justa subire pudet.
 21 Nunc te etiam, licet ipsa alio traduxeris ignes,
 22 et licet odisti, semper amabo tamen.
 23 Nunc etiam legesque tuas tua justa capessam,
 24 nunc etiam nutus imperiumque sequar.
 25 Tu si forte mihi priscum impertire favorem,
 26 si miserum rursus perfida amare negas.
 27 Finixeris at certe, certe simularis amare :
 28 sat mihi fictus erit, sat simulatus amor.

BASIUM XXVIII.

EXSECRATUR MUSAS, UTPOTE PANCHARIDIS AMORES NON AUGENTES.

P_28 v.1 Ite, quando nihil juvare amantem,
 2 quando conciliare nec potestis
 3 adversam nimium mihi puellam :
 4 ite in exitium malasque flamas,
 5 Musae pernicies meae juventae.
 6 Nam quid illa meo superba cantu
 7 famam in postera saecla prorogabit,
 8 quae meas toties precationes
 9 sprevit aspera contumaxque flecti ?

10 Quin vos quin potius subite flammae
 11 quin vos quin potius valete in ignes
 12 Camenae mihi non bene auspicatae.
 13 Verum pignus ego meique amoris,
 14 et meae fidei obsides Camenas
 15 scelestus jubeam valere in ignes,
 16 ego nomina clara Pancharillae,
 17 quibus vel Venus invidere possit,
 18 diris devoveam ustulanda flammis.
 19 Quin vos vivite, clara Pancharillae
 20 meae nomina, vivite o Camenae,
 21 nec incendia nec timete flamas.
 22 Unum me satis aestuare flammis,
 23 unum sit satis ignibus perire.

BASIUM XXIX.

COMPARAT MALUM SUUM VENEREUM CUM MALO PROMETHEI, TITYI, SISYPHI, ETC.

P_29 v.1 Nec caelum assiduo madescit imbre,
 2 nec mare assiduis tumet procellis,
 3 at mihi assiduo imbre lacrimarum
 4 ora tota madent, mihi que pectus
 5 curarum assiduis tumet procellis.
 6 Non terras petit usque et usque fulmen,
 7 at me fulminibus nocentiora
 8 usque tela petunt, et usque flammae.
 9 Non semper miserum vorat Prometheum,
 10 nec semper Tityum malignus ales :
 11 at malignior usque mi Cupido,
 12 et fibras vorat, et vorat medullas.
 13 Non Ixiona Sisyphumve pondus
 14 urget perpetuum ; at mihi perenna
 15 pondus incubat, at me et usque et usque
 16 dolorum rapit orbis inquietus,
 17 o me ter miserum, o nimis sinistro
 18 natum sidere, diisque inauspicatis !

BASIUM XXX.

CONQUERITUR SE JUSTAM MORIENDI CAUSAM NON HABERE.

P_30 v.1 Non ego, Diva, queror blandae modulamine vocis,
 2 quod me excantaris surpuerisque mihi.
 3 Non ego, Diva, queror, dulci quod nectare tincta
 4 e labris animam mi tua labra trahunt.
 5 Non quod mi paeto furata es lumine pectus,
 6 ast unum infelix hoc ego Diva queror :
 7 dum sic occumbo, tam dulci occumbere leto,
 8 ut leti non sit justa querela mei.

BASIUM XXXI.

PETIT BASIUM A PANCHARIDE, ET OPTAT UT INTER BASIANDAM EXPIRET.

P_31 v.1 Panchari, virgineos inter flos unice flores,
 2 Panchari, pars animae dimidiata meae,
 3 cuius labra rosas spirant, violasque capilli,
 4 spirant cinnameum candida colla nemus,
 5 da mihi, da pressim luctantibus humida linguis
 6 basia per longas continuata moras.
 7 Qualia dat casto turtur sociata marito,
 8 qualia amatori blanda columba suo.
 9 Nec numera ut cupido numerabat Lesbia vati,
 10 illa dare ex animo non numerare juvet.
 11 At tu dum cupido miscebis basia amanti,
 12 junge oculos oculis, et labra junge labris.
 13 Nec penitus clausa ora tene, nec aperta licenter,
 14 ut nec clausa juvant, sic neque hiulca decent.
 15 Sit satis ad pulsum linguis fecisse duabus,
 16 innocuoque brevem dente dedisse viam.
 17 Occurrat veniens venienti lingula linguae,
 18 alteraque alterius mobilis ore natet.
 19 Ne tota committe tamen mihi proelia lingua,
 20 at summa tantum cuspide bella gere.
 21 Dumque tuam exsugam, tu nostram exsuge vicissim.
 22 Dum te dente petam, me quoque denre pete.
 23 Sint voces querulae, sint blaesula verba loquentum,
 24 nec desint tremulo murmura blanda sono.
 25 Postremo in nostris animam depone labellis :
 26 hic morere, aut certe finge petulca mori.
 27 Sic est, et cupidum tandem exorata beasti,
 28 estque anima in labris nostra relicta tuis.
 29 Omnibus e membris illuc stimulata cucurrit,
 30 tamquam perpetuas hic habitura moras.
 31 Sic eat et redeat toties, erretque labellis
 32 dum se animae penitus misceat illa tuae.
 33 Nec tu animam ex anima possis divellere nostra,
 34 ut noster numquam dissoluetur amor.

BASIUM XXXII.

ROGAT VENEREM, UT SI FORTE IN PROELIO BASIORUM EXSPIRET,
 ANIMAE ILLIUS HAERES ESSE NON DEDIGNETUR.

P_32 v.1 Dum certamina mox futura verso,
 2 tot mentem illecebrae meam titillant,
 3 sola ut ebria cogitatione
 4 jam tum deficiat. Quid ergo sospes
 5 Haec certamina perferam cruenta :
 6 quem certaminis ipsa vel futuri
 7 cogitatio vulnerare possit ?
 8 O Venus bona, quae bonos amantes
 9 una numine prospero tueris !
 10 Hoc si me miserum impotentiore
 11 contingit cadere immorique bello,

12 accipe hanc animam, et beatioris
13 duc in florida me vireta Cypri.

PERVIGILIUM VENERIS.

P_33 v.1 O nox suavicula ! O bonae tenebrae !
 2 Tenebrae mihi luce clariores,
 3 quae meam Venerem et suavitatem,
 4 cor vitamque meam mihi attulisti.
 5 Nunc te possideo, alma Pancharilla
 6 turturilla mea, et columbulilla ;
 7 nunc blandae veneri licet litare,
 8 longae praemia nunc morae referre,
 9 amplexuque mihi frui cupito.
 10 Ferox, improba, dura quid moraris
 11 sic me languidulum ? Quid illa lingua
 12 mella sugere, quid suavis auram
 13 oris colligere, et tenaciora
 14 vetas conserere invicem labella ?
 15 Quod voto tacito unice requiris,
 16 cur id dura mihi negas roganti ?
 17 At prior cupias licet, pudica,
 18 et frontis tetricae cupis videri :
 19 spernens (credere si licebit umquam)
 20 molles nequicias libidinesque.
 21 At te per faculas tuas micantes,
 22 et haec aemula purpurae labella
 23 oro, perque genas, et hunc capillum,
 24 qui formosa vagus flagellat ora,
 25 oro perque sinus, et has papillas
 26 primulum tibi jam sororiantes,
 27 has gemmas geminas pari decore
 28 surgentes geminis pares pyropis,
 29 ne Cupidine jamdiu aestuantem
 30 eneca. Ah perii miser ! Quid ? Imo
 31 jamdudum perii, nisi benigna
 32 faves ociosusque cordis
 33 tot incendia Pancharilla sedas.
 34 Me Venus bona, me Cupido serva,
 35 mi mens insolitum furit furorem,
 36 neque hunc ferre potest furoris aestum.
 37 Haec suspiria et has preces trahebam
 38 imo a pectore, jam neci propinquus,
 39 cum victae subito ira detumescit,
 40 et mox virgineo pudore leves
 41 interfusa genas, et ora casto
 42 spargens molliter imbre lacrimarum :
 43 "Tota, inquit, tua Pancharilla, tota est
 44 mutuo tibi mancipata nexu."
 45 Cum dicto simul osculum propinat,
 46 ultro se admovet, et prudenter audax,
 47 sese in brachia nexus dedit.
 48 Ego compositam aureo cubili
 49 totum verto in eam furoris ignem,
 50 quae mi incendia tanta suscitavit.

51 Toto corpore pronus in suaves
 52 amplexus ruo, cruribusque crura,
 53 pes pedi, femori femur recumbit ;
 54 haerent oribus ora, labra labris,
 55 firmo pectora glutino cohaerent.
 56 Jamque Cypridis aurea vireta,
 57 jam Cupidinis hortulos pererro,
 58 vere perpetuo hortulos virentes ;
 59 hinc rosas teneras legens, et inde
 60 narcissum, violas, amaracumque,
 61 mellitis nimis atque delicatis
 62 usque ad invidiam osculis fruiscor.
 63 Stricto corpora colligata nexu
 64 confundunt animas : duellum utrimque
 65 commiscent tremulae per ora linguae.
 66 O quot lectulus et lucerna pernox
 67 molles delicias utrimque vidit !
 68 Dum strictim appliciti artiore vinclo
 69 haeremus calidi, Venusque venis
 70 diffusa interioribus ; tepente
 71 artus languidulos liquore rorat,
 72 alternantibus osculis, utrimque
 73 occursantibus hinc et inde linguis,
 74 coniventibus hinc et inde ocellis.
 75 Tum dico : "Superi, tenete caelum,
 76 vestram, numina, possidete sortem ;
 77 dum <ego> te teneam, alma Pancharilla, (vers lacuneux : restitution)
 78 dum te possideam, nec ipse caelum,
 79 nec vestram superi invidebo sortem."
 80 Et nunc roscida labra suaviari,
 81 et nunc mollibus immori lacertis,
 82 nunc patrantibus innatare ocellis,
 83 nunc et brachia tortili capillo
 84 impedire juvat, modo osculari
 85 anhelas tremulo sinu papillas,
 86 papillis Veneris pares papillas,
 87 altrices animae meae papillas.
 88 Nunc saltu volucri insilire collo,
 89 nunc candente genas notare dente,
 90 nunc errare manu licentiore
 91 illa per femora, illa perpolita,
 92 illa marmoreo superba luxu,
 93 quibus janitor excubat Cupido,
 94 et sacram Veneris tuetur arcem.
 95 Mille ludimus osculis protervi,
 96 ut colludere turturique turtur,
 97 columbaeque suae solet columbus ;
 98 certatimque damus notas amoris,
 99 certatimque damus notas furoris,
 100 et transfundimus ore semiulco
 101 errantes animas et hinc et inde.
 102 Haec nos proelia militamus inter
 103 sudores varios anhelitusque,
 104 dum fessa Venere artubusque tritis,
 105 et jam deficientibus medullis,
 106 et jam deficiente corde anhelo,

107 cogor languidulos inire somnos ;
 108 mox et succiduum recondo collum
 109 in meae tenero sinu Puellae.
 110 Illa, interposita minus vel hora,
 111 pungit saepicule, atque dormientis
 112 aurem vellicat, et subinde tractat,
 113 et me verberat osculis subinde,
 114 et parcente petit labella morsu.
 115 Tum me blanda iterum vocans ad arma
 116 "Sic ignave jaces sopore victus,
 117 sic cessas ?" ait. Hic repente lento
 118 sopore excutior, juvatque gnavum
 119 ad Cupidinis arma prosilire,
 120 juvat cominus, eminus ferire,
 121 et caesim juvat, et ferire punctim.
 122 Jamque vulnere dulce saevienti
 123 hostis transadigo intimas medullas.
 124 Reddit multiplices vices uterque,
 125 et subsultibus hinc et inde crebris
 126 spissat officium : novas uterque
 127 serit delicias, serit lepores,
 128 uterque improbulos jocos, uterque
 129 fingit blanditias proterviores,
 130 facit nequitias salaciiores,
 131 omnes Cypridis induit figuram,
 132 donec corpora miscuo furore
 133 in unum coeunt amica corpus.
 134 Millies mihi milliesque salve
 135 nox felicibus invidenda divis,
 136 qua nec Juno mihi beatiorem,
 137 nec possit Venus ipsa polliceri.
 138 Salvete, o mihi candidae tenebrae,
 139 tot inter Veneres, salaciasque,
 140 et tot blanditias faventiasque,
 141 et tot illecebras lubentiasque,
 142 et suspiria, murmura, et susurros,
 143 et convicia mutuosque quaestus,
 144 lusus, oscula, tinnulos cachinnos,
 145 rixas, proelia, morsicationes,
 146 iras, vulnera, lingulationes,
 147 vitas atque neces reciprocantes,
 148 et tot nequitias mihi peractae.

++++++

AD DIVIONEM, URBEM BURGUNDIAE PRIMARIAM.

P_34 v.1 Deus, Divio, te perenne servet,
 2 urbs amata mihi et cupita, quantum
 3 nulla amata fuit, fuit cupita.

4 Quam tot inde viri politiores.
 5 Robertus meus, et meus Juretus,
 6 et Taborotius Boneriusque.
 7 Inde tot Veneres venustiores,
 8 fama nobilitant, beantque caelo.
 9 Una sed magis omnibus Turilla
 10 illa lux animi Turilla nostri.
 11 Quando Divio tete ego revisam ?
 12 Quando illos legere Atticos lepores,
 13 Robertique mei, et mei Jureti,
 14 et Taborotii Boneriique,
 15 quando tot Venerum aureum licebit
 16 jubar suspicere aureamque lucem ?
 17 Quando fas erit et meae Turillae
 18 illa purpurea ora contueri ?
 19 At tu, Divio, tu meas perenna
 20 serves delicias et has et illas,
 21 amoresque meos et hos et illos.
 22 Sic te, Divio, Deus perenne servet,
 23 urbs amata mihi et cupita, quantum
 24 nulla amata fuit, fuit cupita

AD ACHILLEM HARLAEUM, SENATUS PARISIENSIS PRINCIPEM.

P_35 v.1 Ergo Achillem humiles adite Musae,
 2 non illum populis ducem tremendum,
 3 illum terribilem trucemque Achillem,
 4 sed hunc Justitiae pium parentem,
 5 inter qui strepitus forique turbas,
 6 inter pondera publicasque curas
 7 audit Pieridum pios alumnos,
 8 et quamquam attigit hos gradus honoris,
 9 queis nil celsius expetisse justa
 10 potest ambitio, tamen benignus
 11 et Musas colit, et colit poetas.
 12 Vos hunc vos humiles adite, Musae,
 13 et huic dicite, si suo favore
 14 licet Sequanicis praeesse Barris,
 15 speratoque mihi otio fruisci,
 16 illi carmina me parare, vivet
 17 queis Achillis honos perenne in aevum
 18 ut nil Maeoniden vetusto Achilli,
 19 sit quod invideat recens Achilles.

IN AENEAM.

P_36 v.1 Qui flecti indocilis ad fata coegit Elisam,
 2 usque adeo ingrata certus abire fuga :
 3 non Venere ille satus, non blandi frater Amoris,
 4 at vere Aeneas aeneus ille fuit.

AD JACOBUM FAJUM, ADVOCATUM REGIUM IN SENATU PARISIENSI.

P_37 v.1 Te, Fai, pater omnium leporum,
 2 auctum gratulor elegante prole.
 3 Nam quid gratius accidat marito,
 4 quam bella et lepida elegansque proles,
 5 casti conjugii suave pignus ?
 6 Verum non tibi tresve quattuorve
 7 natas esse putas satis superque ?
 8 Satis multa, satis puella, Fai.
 9 Gigne quem similem sui parentis
 10 olim Gallica rostra fulminantem
 11 et patrum et stupeat corona vulgi.
 12 Gigne in quo eniteat tua illa virtus,
 13 qua tu Sauromatas tumultuantes
 14 leniisti et populi furentis iras.
 15 Nec unum esse satis putato Faium :
 16 sed Faii unius in locum quotannis,
 17 da novos liceat videre Faios.
 18 Hoc tu munere majus ampliusque
 19 nil dabis patriae tuisque Gallis.

AD JAC. ET FRANCISCUM GUELLIOS FRATRES.

P_38 v.1 Salvete, o gemini ordinis togati,
 2 ocelli geminis meis ocellis,
 3 et cara mihi luce cariores.
 4 Salvete, o iterumque tertiumque
 5 Guellii, et memores mei valete.
 6 Inter qui medias luis procellas,
 7 et morbi gravidos furentis aestus,
 8 unus in vidua relictus urbe,
 9 et illis sine more saevientis
 10 paene Apollinis obrutus sagittis,
 11 vivam nescio, vixerimve : verum
 12 seu vivam miser ipse, vixerimve
 13 aeternum mihi Guellii beati
 14 salvete, et memores mei valete.

AD BERNADUM PREVOTIUM, SENATUS PARISIENSIS PRAESIDEM.

P_39 v.1 Praeses optime, te tuus poeta,
 2 cliens ille tuus Bonefus orat
 3 causae subvenias periclitanti,
 4 quae nec sollicitum frui quiete,
 5 nec illum patitur vacare Musis ;
 6 quodque angit nimio dolore amantem
 7 vetat virgine jamdiu cupita,
 8 speratisque mihi toris potiti
 9 ergo perspice quot tuum poetam
 10 ornabis meritis ? Dabis quiete,
 11 et Musis dabis, et frui puella.

AD LAZARUM COCLAEUM, SENATOREM PARISIENSEM.

P_40 v.1 Exspectate diu et diu cupite
 2 ades Sequanicis, Coclæe Barris ;
 3 ades flos hominum eruditiorum,
 4 ades flos hominum eloquentiorum ;
 5 nec sperne exigua Coclæe Barrum.
 6 Non est exigua aut pusilla Barrus,
 7 cui Vignerius ille scriptor ingens,
 8 cui denique doctus ille Popo
 9 vitae exordia luminisque debent.
 10 Non est exigua aut pusilla Barrus,
 11 qua, e Coclæe, tuo superbit ortu,
 12 et te flos hominum eruditiorum,
 13 et te stos hominum eloquentiorum,
 14 alumnum ante alios beata jactat.
 15 Non est exigua aut pusilla Barrus,
 16 quae terris peperit deam potentem,
 17 illam Pancharidem, deam stupendam,
 18 cui componere nulla se dearum
 19 ausit eximiae decore formae,
 20 quid tu jam patriam, Coclæe, Barrum,
 21 ausis despicere et putare parvi ?
 22 Possunt divitiis tuam, Coclæe,
 23 urbes innumeræ praeire Barrum.
 24 Barrum nulla tuam praeire possit,
 25 cultis ingenii et eruditis,
 26 majorisque deae potente forma.

AD AEGIDIUM DURANTEM.

P_41 v.1 Ne quid, Carola, Lesbiae invideto,
 2 habes, Carola, tu tuum Catullum,
 3 cujus tu numeris Catullianis
 4 aeternum volites virum per ora.
 5 Volat Lesbia ceu Catulliana.
 6 Ne quid vos Latio invidete, Galli,
 7 habes, Gallia, tu tuum Catullum
 8 Gallicis numeris Catullientem,
 9 quo vix nequior elegantiorque,
 10 pater nequitiae elegantiaeque,
 11 Catullus fiet ille Lesbianus.
 12 Et tu molliculi aemulos Catulli,
 13 lingua dispare, sed pari lepore,
 14 aeternis numeros premes tenebris ?
 15 Ne tantum decus invideto Durans,
 16 Carolaeque tuae tuisque Gallis,
 17 uni denique ne tibi invideto,
 18 qui nulli potes invidere quidquam.

TUMULUS OTHONIS TURNEBI ADRIANI F.

P_42 v.1 Et me fas etiam est Othonianos
 2 justis luctibus excitare manes,

3 fas et solvere lacrimas amori,
 4 et tanto lacrimas profusiores,
 5 quanto vulnere nos acerbiora,
 6 tam crudelia perculere fata :
 7 quae dum, pro dolor, abstulere Othonem,
 8 cum nato pariter suum parentem
 9 abstulere iterum, duplexque nobis,
 10 uno vulnere vulnus intulere.
 11 Nam tu patris eras imago vivax
 12 inque uno geminis frui licebat,
 13 et nato simul et simul parente.
 14 Ergo nos gemitu profusio,
 15 et nati simul et simul parentis
 16 uno in funere bina prosequamur ;
 17 sed quanto gemitu profusio
 18 illa prosequar, hoc minus parentem,
 19 hoc et te minus ipse amare dicat,
 20 qui nato videar suum parentem,
 21 parentique suum invidere natum,
 22 et suam videar beatitatem
 23 invidete patri, invidere nato.
 24 Qui nunc civibus aetheris recepti,
 25 una cum Jove cum diis jocantur,
 26 una deliciis et aevitate,
 27 et mensis Superum ambo perfruuntur.
 28 Ergo vivite, vivite o beati,
 29 et nato pater et parente nate,
 30 rursus vivite, vivite o beati,
 31 Adriane parens Othoque fili,
 32 una cum Jove cum diis jocantes,
 33 una deliciis et aevitate,
 34 et mensis Superum ambo perfruentes.
 35 Et vos vivite vos, Dii beati,
 36 et nato simul et simul parente.

AD JAC. CUJACIUM JAC. CU. F.

P_43 v.1 Quid, Cujaciade, tuine vivis,
 2 et vales memor usque Bonesoni ?
 3 Quem pridem sibi sic puella vinxit,
 4 sic sibi imperiosa mancipavit,
 5 ut nec esse memor sui feratur.
 6 Nam tu (quod mihi fama nuntiavit)
 7 jam tener teneram colis pueram,
 8 jam docet puerum puer Cupido.
 9 Quid oris decor, insolensque candor,
 10 quid possit Dominae superba forma.
 11 Et dictat numeros, quibus lepores
 12 amoresque tuos voces ad astra.
 13 Ames, culte puer, ames perenne,
 14 et versu lepido tuos lepores,
 15 amoresque tuos voces ad astra,
 16 atque det puer puer Cupido.
 17 Sit cum amoribus et tua Dione,
 18 sit cum deliciis bene ac beate,

19 quamque mi melius beatiusque,
 20 quem nimis cruciat nimisque torquet
 21 duro marmore durior puella.

CL. V. ERRICO MEMMIO.

P_44 v.1 Misisti geminos mihi poetas,
 2 quos ego geminos ad umbilicum
 3 legi attentius. Est uterque, Memmi,
 4 quando judicium meum requiris,
 5 sane perlepidus perelegansque ;
 6 sed quid judicium meum requiris,
 7 Memmi, aevi decus atque litterarum,
 8 cuius judiciumque calculumque
 9 tanti omnes faciunt boni poetae,
 10 tanti omnes faciunt viri eruditii,
 11 nil tanti ut faciant boni poetae,
 12 nil tanti faciant viri eruditii.

JO. CUSSAEI SENATORIS PARISIENSIS ET RENATAE THUANAE
EPITHALAMIU.M.

P_45 v.1 Renatam, qua non formosior altera, vedit
 2 miratusque novas mortali in corpore dotes,
 3 insolitos hausit formosae virginis ignes
 4 Cussaeus, totisque furens incendia venis
 5 imbibit : unam ardens animi sequiturque, premitque,
 6 unius in nivea defixus imagine pendet.
 7 Nec minus arcano consumitur igne medullas
 8 Parisias inter forma clarissima Nymphas,
 9 Nympha novas experta faces, unumque requirit
 10 unius in vultu sperati conjugis haeret.
 11 Quid porro cunctaris Hymen ? Quove usque moraris
 12 tam cupidos felice jugo committere amantes ?
 13 Huc ades o faustisque novos conjunge maritos
 14 auspiciis : en te, virgo virque integer aevi,
 15 conjunctis poscunt studiis in vota vocantes.
 16 At jam mitte queri, jam lentas desine solis
 17 incusare rotas et segnem dicere Phoeben,
 18 Cussaee Armoricae decus indelebile gentis.
 19 Jam tandem advecta est astris volventibus hora,
 20 qua curas luctumque leves, longumque laborem,
 21 et voti damnere tui, et satiere petito
 22 amplexu, tenerae fusus per membra puellae,
 23 quam Veneri possis, quam tu paeferre Diana.
 24 Jam tandem advecta est astris volventibus hora,
 25 qua digno conjuncta viro, dignisque Hymenaeis
 26 virgo Thuanaeae proles clarissima gentis,
 27 dulcia percipias genialis gaudia lecti,
 28 gaudia sollicito non intercepta pavore.
 29 Hesperus en rutilas orta sub nube sagittas,
 30 astra inter spargit, flammis en compita fervent,
 31 et lauro postes, et vernant festa corymbis
 32 atria, collucent tremulo fulgore per auras

33 legitimae taedae, noctemque incendia vincunt.
 34 Omnis honos, omnes coeunt ad limina fasces.
 35 Atque Amathontaeas arces non inscia tanti
 36 conjugii, caramque Paphon Cytheraea reliquit,
 37 Cussaeique fores cari subit hospitis hospes,
 38 nescio quo praeter solitum conspectior ore
 39 et blanda gravitate decens. Hinc, inde ministri
 40 pennigeri, ridensque Jocus, mollisque Juventas,
 41 et levis excusso volat Indulgentia freno,
 42 Idaliae matrem stipant utrimque sorores,
 43 divinosque novae Charitis mirantur honores.
 44 Mirantur geminos imitantia lumina soles,
 45 certantesque comas auro, et certantia purae
 46 colla nivi, lactique sinus, et labra corallis ;
 47 mille animi dotes mirantur, mille lepores,
 48 mille artes, exculta quibus fert nomen olymbo
 49 Renata, et praestat aequalibus una puellis,
 50 Renata et proavis et claro sanguine nata,
 51 Renata illius neptis veneranda Thuani,
 52 qui nuper solio princeps e principe Gallis
 53 jura dabat, legumque sacras tractabat habenas
 54 indocilis judex recti mutare tenorem,
 55 infamique gerens impervia pectora lucro.
 56 Quid tu autem, Innuptis olim, nunc gloria Nuptis,
 57 quid cessa ? Cupidumque adeo remoraris amantem ?
 58 I, prodi tandem quo te vocat hora, tuusque
 59 ille vocat titulis et sanguine clarus avito
 60 Cussaeus, magni illius certissima proles
 61 Cussaei, quem Rex populos, lateque patentem
 62 armoriam rigida jussit frenare securi.
 63 Ille tibi amplexusque feret noctemque beatam,
 64 ille feret dulcesque jocos, perfusaque melle
 65 oscula constringens validis tua colla lacertis.
 66 Felix, o nimium felix hac virgine conjux,
 67 felix o nimium felix hoc conjugе virgo :
 68 vivite concordes atque artis vincula dextris
 69 nectite, quam lento constringitur Herculis arbor
 70 palmite, quam premitur vitis frondentibus ulmis.
 71 Vivite, fecundam sobole exercete juventam,
 72 et Gallis natos, Gallis properate nepotes,
 73 qui leges, qui jura ferant, qui facta parentum
 74 aequent, qui famam ventura in saecula mittant
 75 virtute insignem, insignem praestantibus ausis.

TUMULTUS GALLICUS.

P_46 v.1 Ecquid inexpleto disrumpis pectora questu
 2 Gallia, et assiduis perfundis fletibus ora ?
 3 Comprime singultus, lacrimarum comprise rivos.
 4 Exspectata diu tandem lux aurea fulsit,
 5 qua caput infandum, terrarum dedecus, hostis
 6 caelicolum diro vitam cum sanguine fudit.
 7 Quem (si nosse cupis primae incunabula vitae)
 8 nocte sata Alecto reptantem fovit in ulnis,
 9 et struere insidias, tacitas innectere fraudes,

10 magnorum penetrare aulas et limina regum,
 11 unanimis odiis docuit turbare sodales.
 12 Ergo olim placidas late cum cerneret urbes
 13 Gallorum, invidiae violento concitus aestu
 14 bella movet, tentat Gallorum invadere sceptra,
 15 pullatos equites nostras effundit in oras,
 16 arva Palatinis pervastat Gallica plaustris,
 17 Valesiae gentis nomen delere laborat,
 18 obvia quaeque metit ferro, non flectitur annis
 19 non ullis precibus : jugulum mucrone senile
 20 confodit, innocuo conspergit saxa cruento.
 21 Sanguine rura natant, vitiantur flumina tabo.
 22 Haud aliter stimulante fame tigrisve lupusve
 23 in miseras pecudes longe custode fugato
 24 magna mole ruit : balantum sanguine longam
 25 exsaturat rabiem, et totis dat funera campis.
 26 Prostituit matrum saevas ante ora puellas,
 27 convellit superum effigies, convellit et aras
 28 impius, et nostrarae evertit monumenta salutis.
 29 Vulcanum effundit templis, et sacra profanat
 30 ipsas ante aras, pulvinaria divum
 31 Pontificum immiti pectus transverberat ense.
 32 Quodque nefas dictu, captorum viscera torret,
 33 nec dubitat diris epulanda apponere mensis.
 34 Sed qui fas putat esse sibi venerabile, Christe,
 35 proterere occultum panis sub imagine corpus,
 36 quid putet esse nefas ? Animus meminisse perhorret
 37 tam dirum facinus, quod nec lustrare vel ingens
 38 Oceanus, nec longa queat delere venustas.
 39 Quid Siculi quondam tale admisere Tyranni ?
 40 Cedant Thracis equi, Phariique altaria regis.
 41 Dira Lycaoniae cedant opprobria linguae,
 42 infandaeque dapes Atrei, Siculusque juvencus :
 43 tu quoque jungebas, qui mortua corpora vivis
 44 quaeque per ora tui egisti carpenta parentis,
 45 cedite jam, hic vicit cunctos feritate tyrannos.
 46 O scelus ! O cunctis Erebi dignissime poenis !
 47 Tune gigantaeis Gallorum invadere regna
 48 aggressus furis, patriaeque in viscera vires
 49 vertere ? Sacrilego sumet de sanguine poenas,
 50 nec tantum, mihi crede, nefas patietur inultum
 51 vindicis ira Dei, qui conspicit omnia justus
 52 arbiter, et justo sontes examine plectit.
 53 Sic et qui patriam ferro flammatum petivit
 54 indomitos in corde gerens Catilina furores
 55 invisam efflavit sub acerbo funere vitam.
 56 Non, aut fallor ego, tibi semper amica favebit
 57 fortuna. Adveniet tempus quo diruta templa
 58 Carolus et cives caesos urbesque reposcat
 59 eversas, et rura suis viduata colonis.
 60 Quo tua certatim populus flammatia vellat
 61 lumina, sexcentis fodiat quo viscera telis.
 62 Adveniet tempus quo cuspide pandat anhelias
 63 pulmonum latebras, tum celsa ex arbore pendens
 64 quod quaesisti armis, toties quod mente petisti,
 65 scilicet exstabitis supra regesque ducesque

66 hos tibi fata ferunt, parat hos fortuna triumphos.
 67 Quod facis, interea confundas omnia luctu,
 68 nil intentatum sceleris fraudisve relinquas
 69 Mavortique viam laxes, quo caeca cupido,
 70 quoque immane nefas, ruptis rapiaris habenis.
 71 At tu pone modum lacrimis, jam tuta pericli
 72 Gallia pone metus. Major tibi partus Achilles
 73 sospite, quo numquam Gallorum regna labascant,
 74 major et Alcides validis qui viribus hydram
 75 contundat, victor quae Gallas obsidet urbes
 76 Henricus, nomenque ferens, omenque parentis.
 77 Ingredere o regum soboles, fortissime ductor
 78 Francigenum, contraque feram fera suscipe tela.
 79 Tu nobis optata quies, solumque pericli
 80 praesidium, spes et duris in rebus asylum.
 81 Te simul aspicient fugentes aere phalanges,
 82 terga dabunt pavidae rapidis pernicius Euris,
 83 ut cum Aquilam coelo volucres videre minores
 84 ut cum fulmineum videre armenta leonem.
 85 Nec mora, tres acies uno (mirabile dictu)
 86 tresque duces animi praestantes conficis anno.
 87 Non te tristis hiems, non saevi sideris aestus,
 88 non acies, non districto fidentia serro
 89 agmina, non latis circumdata moenia fossis,
 90 non valles rupesve tenent saltusve profundi,
 91 sed sive aeratas arces, sive ardua bello
 92 oppida concutias, tibi pervia marmora reddis.
 93 Nunc magnus Danaos astris attollat Homerum
 94 Pergama, qui segnes occulta fraude doloque
 95 vix annis cepere decem, vix mille carinis.
 96 Sed tamen, o facinus, semenque caputque malorum,
 97 fax patriae, regni praedo, communis Erynnis,
 98 orbis proluvies vitali vescitur aura.
 99 Quid tua, summe Deum, quid cessant fulmina quidve
 100 te juvat innocuos convellere fulmine montes ?
 101 Ardua quantumvis caput inter sidera condant.
 102 Infandum hoc jam jamque tuis caput obrue telis,
 103 nec nostras impune sinas volitare per urbes,
 104 hoc te orant matresque piae innuptaeque puellae
 105 impubes, tardique senes. Quid summe moraris
 106 o Superum rector ? Nostris jam luctibus ille
 107 consenuit, tantaque premit nos clade tot annos.
 108 Ah, moveant te sidereae, rex maxime, gentis
 109 tot clari bellique duces pacisque magistri,
 110 quos dedit ille neci. Moveat te Brissacus ille
 111 Timoleon animi nulli virtute secundus.
 112 Magnanimi moveat genus alto a sanguine Brutii
 113 Martigus. Moveant tandem crudelia magni
 114 funera Guisiadae, cui nullum prisca tulere
 115 saecla parem, nullo se tantum Gallica tellus
 116 principe jactabit. Qui quantum posset in armis
 117 audax sensit Iber, fortis sensere Britanni.
 118 An nihil ista movent ? Moveat te, summe deorum,
 119 rex juvenis, sed qui antevenit virtutibus annos,
 120 et fratres, quibus ille genus miserabile leti
 121 proditor occultis molitur fraudibus : adfer,

122 adfer opem, adversisque tuos succumbere rebus
 123 tu, pater alme, veta, conatus frange rebelles,
 124 contunde immodos ausus, atque artibus artes
 125 callidus elude et praesens res aspice nostras."
 126 Audit et placidas tandem tot questibus aures
 127 avertit, qui subjectis facilisque bonusque,
 128 parcit, et indomitos qui proterit et pede calcat.
 129 Jam nox atra polum, terrasque involverat umbra,
 130 jamque sopor pigras late diffuderat alas :
 131 at Deus insomnis sceleratas sumere poenas
 132 cogitat, et tacitus per noctem plurima volvens
 133 infernasne adigat praedonem fulmine ad umbras
 134 protinus, an populi manibus prosternat et armis,
 135 "Quin populus prosternat, ait, rapiatque ruatque."
 136 Nec mora, vix radiis Aurorae nuntius altos
 137 stringebat montes, furiis cum Gallia justis
 138 consurgit, jam jamque micat seges undique ferri.
 139 Obstupet ille furens animi, et praesagia sentit,
 140 instantis fati : turbant praecordia dirae
 141 Eumenidumque faces, et conscius horror oberrans.
 142 Jamque illi fodiunt hastis, hi lumina vellunt,
 143 illi humeros quatiant, populant hi tempora, figit
 144 ille latus, secat ille humeros, rapit ille lacertos,
 145 cordis hic arcanas rimatur cuspide fibras.
 146 Exanimum raptant urbis per compita corpus,
 147 insultantque alacres et voces insuper addunt :
 148 "I, nunc captivas nobis impone catenas,
 149 calcandum spargunt triviis, matrumque senumque
 150 plurima turba ruunt ad gaudia. Nemo secundis
 151 intumeat rebus. Nimios Rhamnusia fastus
 152 spesque premit tumidas. Qui regibus altior ibat,
 153 qui jam sublimi pulsabat vertice divos,
 154 en nudus pascit ferales in cruce corvos.
 155 Quare age nunc tandem placidis adlabere pennis,
 156 perpetuos habitura dies Pax aurea terris,
 157 exulet et toto jam nunc Mars impius orbe,
 158 dum pia in infidos moveamus proelia Turcas.
 159 Pulsus et Europa concedat barbarus hostis,
 160 hic bello laxate viam, hic se effundat apertis,
 161 carceribus Mavors : vestras hic promite vires.
 162 Nostris Euphratem sceptris adjungite, quaeque
 163 irrigat arva rapax Tigris, quasque alluit urbes.
 164 Jordanes nitido longe celeberrimus alveo
 165 Illyricosque sinus, Epirum et litora passim
 166 Ionio pulsata mari, sedesque vetustas
 167 eripite injusti tandem dicione Tyranni :
 168 hic immensa manent vos praemia, sensit honorum,
 169 seu sit opum quae vos rapit intempesta cupidio.
 170 At quibus extollam verbis te, Carole, Regum
 171 maxime, et Henricum pietate armisque potentem,
 172 auctores nobis tanti qui muneris estis ?
 173 Nam licet hic summi favor est munusque parentis,
 174 vos tamen haud minimam, mortalia numina, habetis
 175 partem opere in tanto. Quae vobis praemia reddet
 176 Gallia digna satis tantis erepta periclis ?
 177 An viridi ex lauro statuet quercuve coronam ?

178 At tantis laurus meritis et civica quercus,
 179 inferior fuerit, neque vos mortalia tangunt,
 180 vos, o divini vates, quos gurgite sacro
 181 proluit et cythara pater insignivit Apollo,
 182 concinete aeternas tanto pro munere laudes.
 183 Gaudent humana laudari Numina voce.
 184 Ipse equidem faveat coeptis modo dexter Apollo,
 185 irradietque mihi vestri jucunda favoris,
 186 aura, canam vestrumque feram super aethera nomen.
 187 Nunc tandem auspicibus vobis, Superisque secundis
 188 optati toties volvuntur tempora saecli,
 189 scilicet ut galeas obducat aranea telis,
 190 utque cavo glomerentur apes umbonis in orbe
 191 cerasque et mellis caelestia dona reponant,
 192 atque iterum miseras virgo veneranda per urbes
 193 visatur, solersque ferat sua jura colonis.
 194 En quorum auspiciis immensum legibus orbem,
 195 frenabis. Mox te septemplicis ostia Nili
 196 agnoscent dominum : palmas tibi mittet Idume,
 197 et tibi flaventes volvet Pactolus arenas,
 198 jam Meroem dictione premes, profugisque Tomitis
 199 Sauromatisque vagis mores et moenia pones ;
 200 jamque tua Insubres tremefacti jussa pavescunt,
 201 horret Iber, metuunt Boreae pugnacis alumni
 202 indomitique Angli et Mavortia pectora Scotti,
 203 jamque adeo rerum victrix illa inclyta quondam
 204 dat famulas tibi Roma manus. En Gallica quantis,
 205 dii superi ! attollet quondam se gloria rebus ?
 206 Ergo age, spes hominum spes, Carole, magna Deorum,
 207 tuque adeo, o Henrice Deum genus, orbis uterque
 208 et decus et votum, quo virtus cumque vocabit
 209 ite alacres animis. Jampridem oracula vatum
 210 terrarum imperium, jampridem sidera vobis
 211 spondent. Quanta tuum tentabunt gaudia pectus
 212 Gallia, quosve dabis plausus ; cum Carolus olim,
 213 cum tuus Henricus spoliis Orientis onusti,
 214 Hesperiae domini, reges Aquilonis et Austri,
 215 advenient ambo insignes fulgentibus armis,
 216 ambo triumphali redimeti tempora lauro.
 217 Felices queis tam illustres spectare triumphos
 218 fas erit, et queis non longos inviderit annos
 219 Parca ferox. Quod si dederint mihi fata Deusve,
 220 et mea maturis si Musa adoleverit annis,
 221 hos ego carminibus coner memorare triumphos.
 222 Nec tamen hos ventura magis mirabitur aetas,
 223 quam patriam teruisse armis, domuisse rebelles, (parfait de 'tero'
 224 cum vix prima genas vestiret flore juventa. attesté)

QUERELA GALLIAE.

P_47 v.1 Ergo novo semper bellorum exercita luctu
 2 aspera fata querar ? Bis nona revolvitur aestas,
 3 ex quo civiles permiscent omnia flammae :
 4 quid dirae infausti mihi non nevere sorores !
 5 Quos ego non amnes undantes sanguine vidi,

6 quas urbes, quos non coopertos ossibus agros ?
 7 Quae non abductis squalentia tuta colonis ?
 8 Qui mihi non periere duces bellique togaeque ?
 9 Attamen heu nondum satiatae Numinis irae,
 10 et lacrimis lacrimas, et caedes caedibus augent ;
 11 jamque novos repetita iterant incendia luctus.
 12 Sic ut ego tot quondam opibus populisque superba,
 13 nunc, heu, orba et inops jaceam et sine viribus umbra,
 14 quodque adeo memorare pudet, non Noricus ensis,
 15 non me Germani feritas, non fastus Iberi
 16 non Italae vires : Nati pro dedecus, ipsi
 17 his mersere malis. Sic quae diis aemula quondam,
 18 imperium terris, animos aequarat Olympo
 19 Martia Roma suis struxit sibi funera telis.
 20 Sic qui nec flamas metuit Troasque Jovemque
 21 ipse sui victor proprio sese induit ense,
 22 ira terribilis justa Telamonius Ajax.
 23 Quis furor ? Aut quae vos stimulis agit improba Erinnys,
 24 o stultae mentes, o caeca cupidine lucri
 25 pectora victrices in vos convertere dextras,
 26 et regnum tanto fundatum sanguine, tanto
 27 servatum per tot dubii discrimina Martis,
 28 crudeli lacerare manu, infandoque tumultu,
 29 tot fortis animas, tot fortia volvere leto
 30 corpora, subjiciant totum quae viribus orbem ?
 31 Omnesque inter vos vestras absumere vires,
 32 scilicet ut fractos tandem civilibus armis,
 33 omnibus exhaustos prope cladibus, opprimat hostis
 34 integer, et pulsos regno deturbet avito.
 35 Ergo pacatis conjungite foedera dextris,
 36 foedera quae longos concordia fervet in annos.
 37 Verum nequicquam blandis adamantina verbis
 38 flectere corda paro placidam indignantia pacem,
 39 queis immota sedet miseram sententia matrem,
 40 perdere et ex ima penitus convellere sede,
 41 dii tantum prohibete nefas, si numina vestra,
 42 rite colo, et meritos indixi semper honores.
 43 Si pia tura dedi vestras adulenda per aras
 44 aspicite, o superi, et lapsis succurrite rebus,
 45 sin merui, ast alio me saltem extinguite leto,
 46 reddite Caesareis telis, furiisque Britanni,
 47 sternite Gothorum manibus, consumite flammis
 48 Vaugionum, saevis populandum exponite Cimbris.
 49 In me dira ferox instauret Vandalus arma,
 50 pullatique ruant equites, in me irruat omnis
 51 concita barbaries, et me premat undique ferrum
 52 aut potius totas effundat Aquarius urnas
 53 abruptosque ruat densis e nubibus ignes,
 54 aut caput in nostrum Vulcania spargite tela,
 55 si peream, manibus vestris periisse juvabit.

> JACOBUS PINCAEUS JANO BONEFIO.

P_48 v.1 Ergone Sequanicae repetes mapalia Barri,
 2 arvaque Campano paene sepulta solo ?

3 Nec jam Parrisias mulcebis cantibus aures,
 4 Aoniam quatiens hac procul urbe chelyn.
 5 Pro pudor, incultos iterum vaga musa Tomitas,
 incolet Ausonia ceu viduata domo ?
 6 Ah, pereat male sollicitos qui primus honores
 extulit, et summos quaesit aere gradus.
 7 Scilicet ut leges capiat te praeside Barrus,
 et patriam et socios otiaque alta fugis !
 8 Quid tibi cum strepitique fori, turbaque clientum,
 molle tuum pectus mollia castra decent
 9 et Venus et Musae per quas tua nomina surgunt,
 numina naturae sunt magis aequa tuae.
 10 Utene quaesitis opibus tua rura colendo,
 sic videas segetes luxuriare tuas.
 11 Sic Bonefi vastum late decus impletat orbem,
 sic Veronensis jam tibi cedat olor.
 12 Judiciis praesint Nervae rigidique Catones,
 non facit ad sontes Musa Venusque reos.
 13 Ipse ego cum possem summi pars esse Senatus,
 patriciisque humeris purpura danda foret :
 14 post habui titulos, studiosaque ad otia versus
 regalis camerae mollia signa tuli.
 15 At tua perpetuo ferientur pectora motu,
 ulla nec a curis hora vocabit iners.
 16 Quam melius mecum peteres per florea rura
 Herculique undas Herculique nemus.
 17 Hic ego, nam memini, tecum cantare solebam
 et patria et Latia carmina voce sonans.
 18 Tu numeris, quos ipse lyra mercetur Apollo,
 augebas Paphiae regna beata deae.
 19 Quis tibi Barraeis vates succurret in oris,
 qui canat, et cantus oriat ore tuos ?
 20 Certus es ire tamen, nec te mea cura moratur,
 maxima cura tui, maxima cura mei.
 21 Quod superest igitur socio concede roganti,
 nec mea da levibus verba ferenda notis.
 22 Saepius huc ad nos veniat tua littera praeceps,
 et scribe ut valeas, ut valeamque roga.
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40

> STEPHANUS PASCHASIUS IN 'BASIA' JOAN. BONESINII.

P_49 v.1 Hinc tua si dentur, Veneris mihi dentur et illinc :
 2 aspernor Veneris basia, sumo tua.
 3 Cur ita ? Nimirum quae nectis basia, mille
 4 intus habent veneres, in Venere una Venus.

> CL. BINETUS. AD JANUM BONEFIUM.

P_50 v.1 Sic verum fateare, sic amabo,
 2 Jane, mi fateare vel roganti,
 3 tuum ut sponte tui arguunt amorem
 4 versus aureoli venustilique.
 5 Ten' tota aureola et venustula illa,
 6 formarum unio Pancharillula illa,

7 illa caesiolis micans ocellis
 8 illa amabilis atque amica (si fas
 9 paeto ex lumine suspicari amorem)
 10 tuis ipsa etiam obligata vinclis,
 11 grato carcere distinet, ligatque
 12 vivis bella puella te catenis ?
 13 Quis non invideat beatitatem
 14 illam, si liceat tuos lepores
 15 ruptos assidua osculatione
 16 ejus humidulae innatare linguae,
 17 disertaeque, citaeque, flexilique ?
 18 At me blaesula (nec pudet fateri)
 19 condit languidulum Melina melle,
 20 Illa languidulae Melina linguae,
 21 et cum Musa mihi facetiarum
 22 spirat quid, subito in sinum recondit.
 23 At si mi quoque jam sororiantes
 24 paulum jam, pateant manu papillae,
 25 si poragt sitientibus labellis
 26 oris oscula delicatioris,
 27 una et nectareos propinnet haustus,
 28 quis non invideat tibi mihi que,
 29 Jane, illam aureolam beatitatem ?
 30 Sed quam non potes invidere nobis,
 31 quam non ipse tibi invidere possum :
 32 Bella Panchari, bella si Melina es,
 33 si quantum pote amare utrumque amatis,
 34 ceteri invideant et usque et usque :
 35 quisquis invidet, is suum fatetur
 36 crimen invidia, probatque sese
 37 plenum ruris et inficietiarum,
 38 qui nec novit amare nedum amatur.

> JO. JACQUERIUS PAR. : IN FEBRIM BONEFONII.

P_51 v.1 Febris pessima, tertiana febris,
 2 quid tibi, et nitido meo Bonefo ?
 3 Cur vexas adeo immerentis artus ?
 4 Si nescis, tener est Bonefus ille
 5 primus hendecasyllabum politor
 6 quem et in mollitiis habet Cythere,
 7 quem et in deliciis Apollo sumpsit.
 8 Ne saevi ulterius verenda febris.
 9 Ah, saevis tamen impotente morbo :
 10 exurisque vorasque congelasque.
 11 Post depasta viri decora membra,
 12 sic circa stipulam levem, minutam,
 13 sic circa calamos superba ludis ?
 14 Redde pessima vultui nitorem,
 15 coloremque cuti, et leporem ocellis,
 16 venis sanguinem, et artubus vigorem ;
 17 rapta tot spolia haec opima redde,
 18 totum denique redde mi Bonefum.
 19 Si pallens cupis insidere fronti,
 20 pallorem incute frontibus reorum ;

21 si mortalia membra congelare,
 22 exustum Aethiopem accolasque Nili
 23 mixto frigore recreare tenta.
 24 Contra si juvat ustulare membra
 25 i, torre gelidi incolas Rhipaei.
 26 Quid tibi et nitido meo Bonefo ?
 27 Hunc flamma solita carere censes ?
 28 Urit altera Pancharis medullas.

AD ERRICUM VALESIUM SERENISSINUM POLONIAE REGEM
LUTETIAM CELEBRI POMPA INGREDIENTEM, PANEGYRICUS.

P_52 v.1 Cooperat herboso componere membra cubili
 2 Sequana, languenti devictus lumina somno,
 3 cum subito exaudit laetos ad sidera cantus,
 4 plaudentesque choros Summo tum sublevat amne
 5 muscosum caput, et roranti cornua vultu.
 6 Naribus unda fluit, totis falit agmen aquarum
 7 crinibus, et spargit concretam uligine barbam.
 8 Hirsutas umbrosa comas praetexit arundo,
 9 caeruleus latos humeros circumdat amictus.
 10 Atque ille admirans dum lumine cuncta pererrat,
 11 dum geminas acies nunc huc, nunc dirigit illuc,
 12 protinus exsiliens virides resoluta capillos,
 13 canentes nudata sinus, nudata lacertos,
 14 inter Naiadas forma pulcherrima Doris,
 15 et manibus complexa patrem mox talibus infit.
 16 "Nec dum fama tuas genitor, pervenit ad aures
 17 Sarmaticum imperium varii regesque, ducesque,
 18 cum dudum ambirent, atque hinc duo lumina gentis
 19 Austriacae, Arctoi Mavortia pignora Rheni,
 20 illinc eximia praestans virtute Pyastus ;
 21 hinc decertarent armis, opibusque potentes
 22 Suevus, et affinis Moscus, sceptra aurea, sceptra
 23 Errico regnique datas totius habenas ?
 24 Quodque adeo mirere magis, non contigit ulli
 25 talis honos, tanto procerum plebisque favore :
 26 cujus Nobilium, et praestantior ordo Senatus
 27 annuerit studiis, plebs adversata frequenter
 28 abnuit : hunc plausu agrestes, hunc voce poposcit
 29 curia, castra tubis, caelo, rure, urbibus undis.
 30 Omnia queis possunt testantur gaudia signis.
 31 Felix, cui sese diffundit publica tanto
 32 gratia consensu, cujus primordia regni
 33 omine prosequitur fausto concordia mundi."
 34 Dixerat. Ille humeris vestem fulgentibus aptat
 35 insolitam, Tyrio saturatam murice et auro
 36 intextam, cui per medias sub tegminis oras
 37 arcano radiant fulgentes igne lapilli.
 38 Caeruleae vero comites nova munera Regi
 39 exornant : pars gemmato componit amictus
 40 stamine, et exuvias omnes, quas rettulit armis,
 41 hoste triumphato cumulat ; pars flore recenti
 42 serta parat, violas, immortalesque amaranthos
 43 permiscens, mollesque rosas, mollesque Hyacinthon

44 ast aliae manibus per mutua vincula nexis
 45 festas exercent choreas, et carmina dicunt,
 46 impellunt aliae vocales pectine chordas.
 47 Interea Erricus solito conspectior, urbem,
 48 Sequana quam nitidis argenteus alluit undis,
 49 intrabat, populo circum, et plaudente senatu,
 50 sublimi spectandus equo, quem crine superbum
 51 erecto gemmis, auroque inserta tegebat
 52 purpura, stringebant medium distincta colorem
 53 floribus, et variis fulgentia cingula bullis.
 54 Ipse ferebatur Tyrio admirabilis ostro,
 55 stipatus circum innumeris Heroibus Heros.
 56 Quem pater ut vidit, summa sublimis ab unda
 57 Sequana, sic illum multo compellat honore.
 58 "Salve, magne pater patriae, Dii proxime princeps
 59 Errice armipotens, cui se flectenda magistro
 60 tradit Hyperboreo tellus subjecta Bootae,
 61 non sine consilio, reor, aut sine numina Divum.
 62 Scilicet hanc tibi Dii laudemque, decusque reservant,
 63 ut qui Sauromatis toties jam bella minantur,
 64 infrenes nomadas, et inhospita pectora Moscos,
 65 infidosque domes Turcas, acresque Bohemos,
 66 Pannonas, et Dacos, et acuta falce Gelonos.
 67 Ergo jam metuunt, jamque trepidantia pulsat
 68 corda pavor, jam Maeotis, jam Caucasus horret,
 69 Rhiphaeique tremunt montes, et Caspia regna,
 70 nec satis Hercynio jam tuta Bohemia saltu.
 71 Ille es nimirum, de quo mihi rettulit olim
 72 Carpathius vates, venturi haud inscius aevi.
 73 Sume animos, inquit, nam si quid Tuscus haruspex,
 74 si Lyciae sortes sapiunt aviumque volatus,
 75 si Phoebus, Dodona, Themis, si vera loquuntur
 76 sidera, mox aderit, qui re super aethera fama
 77 attollat, superisque tuos componat honores,
 78 qui regnum terris, famam qui claudat Olympo.
 79 Illius haud dubiis regni cunabula signis
 80 fulgebunt : nam fit portentis saepe futuri
 81 imperii manifesta fides. Nascentis Iuli
 82 lambebat teneros innoxia flamma capillos.
 83 Dum viridis Laurus flamma crepitante crematur,
 84 Julius aethereas venit sub luminis auras.
 85 Hujus in adventu venturi praescia tellus,
 86 mirandum, subito totos renovabitur artus ;
 87 vis elementorum cedet flagrantis amomi
 88 sudabunt tribuli succos, opobalsama quercus,
 89 mella rubi, inculti producent lilia vepres ;
 90 attonitus passim undantes sine semine aristas
 91 agricola, et natas ultro mirabitur uvas.
 92 Aurea diffundet pleno se copia cornu,
 93 laetaque perpetuis decurrent gaudia rivis.
 94 Jam tum, qualis erit cum firma accesserit aetas,
 95 ex ipso infantis poteris praesciscere vultu.
 96 Flagrabunt oculorum acies, ardentis ab ore
 97 scintillae exslient, bella horrida, bella sonabit :
 98 totus se pueri versabit pectore Mavors,
 99 indomitisi gaudebit equis ; nunc retia cervis

100 tendet, nunc laudum majori incensus amore
 101 spumiseros invadet apros, atque arma per armos
 102 exiget, et certa defiget vulnera sede.
 103 Jam puer atroci concussos turbine Gallos.
 104 Si stet, et his condet Saturni saecula campis,
 105 templa deis, pacem populis sua ruta colonis,
 106 pilea captivis et Musis otia reddet.
 107 Jam puer implebit factis audacibus orbem
 108 inferior nullo pietatis laude nec armis.
 109 Vix dum prima genas signabit flore juventa,
 110 cum sua consiliis animisque volentibus illi
 111 sceptrta dabunt populi, quos frigida despicit Arctos.
 112 Quantos tunc populi plausus ? Et quanta repente
 113 gaudia per cunctas Naturae didita partes
 114 attonitus cernes ? Quantae miracula pompa ?
 115 Felix, et magno nimium dilecte Tonanti
 116 Sequana, quem tanto jam jam donabit alumno !
 117 Tum tibi nec pulcher Ganges, nec turbidus auro
 118 Ister, et arcano Nilus celeberrimus ortu
 119 certarit, tum sponte tibi regnabor aquarum
 120 cesserit Ausonidum ; felices vos quoque tanto
 121 principe Sauromatae, vestrum quo sospite regnum
 122 omnes nobilium numeros explebit honorum,
 123 nec gens ulla magis bello florebit et armis."
 124 Haec Proteus, (ut forte meo successerat antro)
 125 praemonuit. Nunc ergo animos, nunc erige mentem ;
 126 nunc tu vera proba priscorum oracula vatum,
 127 o flos Hectoridum juvenis, tremor orbis, amorque,
 128 quod patri superi, quod et invida fata negarunt,
 129 ne desiste prius, "quam totum impleveris orbem".
 130 At tu, quam gelidae despectat portitor ursae
 131 martia gens, felix tanto mox rege futura,
 132 quo dii nil majus terris meliusque dederunt,
 133 pelle metum, quamvis effrenis undique saepa
 134 gentibus, hinc bello Moscus licet urgeat, illinc
 135 Turca potens, lateque vagis discurset habenis
 136 inde ferox Hunnus muros circumtonet armis ;
 137 hic tibi praesidium, hic clypeus porrectus in hostem,
 138 haud illo melior quisquam gladiumve rotare
 139 fulmineum, aut magno jaculari pondere telum,
 140 aut longam validis moliri viribus hastam.
 141 Quod si flectere equum, durisve inhibere lupatis,
 142 aut sinuare fugas, vel aperto currere campo
 143 mens ferat, ipse illi cedet Phillyrius heros,
 144 cedet Amyclaeus juvenis domitorque Chimaerae.
 145 Ille vel armatas acies superabit inermis,
 146 obviaque horrendo sonitu ruet omnia circum.
 147 Nunc animis ergo, nunc te spe denique in hostes
 148 at tolle, ingentes nunc concipe mente triumphos
 149 Errici auspiciis, atque auxiliaribus armis.
 150 Nemo Sarmatiam in tantum pietate, vel armis
 151 extulerit, licet aeterno repetatur ab aevo
 152 temporis antiqui series, licet usque Pyustum,
 153 Mesconem, et reges Jagella ab origine jactes.
 154 Qualiter Eois cum matutinus ab undis
 155 quadrijugos Titan currus impellit in axem,

156 sidera quae puro rutilabant ante nitore
 157 victa latent, ceduntque Dei majoris honori :
 158 haud secus illorum totis radiantia terris
 159 Errici exoriens perstringet lumina lumen.
 160 Hoc duce, si quid habent veri praesagia vatum,
 161 quae tibi jamdudum crudelia fata minatur,
 162 quaeque sibi ingentes orbis despondet habenas
 163 barbaries, prostrata ruet, ne surgere possit
 164 rursus, et ingentes regni instaurare ruinas.
 165 Jamque per obscenos projecta cadavera vicos,
 166 jam Scythico fluvios undantes sanguine cerno,
 167 collaque ferratis regum constricta catenis,
 168 et vincitas post terga manus ; jam diruta templa,
 169 jam versa in cineres veterum simulacra deorum
 170 aspicio : gaudete animae, quas barbarus hostis
 171 per mortes omnes, cruciatus, vincla, tenebras
 172 abstulit, insontes animae, et melioris egentes
 173 fortunae : advenit qui funera vestra reposcat,
 174 mittat Achilleas vestris qui manibus ulti
 175 Inferias, et damna ferox graviora rependat.
 176 Et vos, quos retinet vinclis, et compede vinctos,
 177 solvite corde metum, tristes jam mittite luctus :
 178 ulti adest, qui vos vinclis, et compede solvat,
 179 quique tyrannorum crudeli caede redemptos
 180 liberet. O felix, totumque canenda per aevum
 181 illa dies. Utinam spectacula tanta ferentem
 182 advehat hanc velox croceis Aurora quadrigis.
 183 At jam tempus adest, ut in hostes arma capessas,
 184 ut cogas, Errice, tuas in bella phalanges.
 185 Ecce vocant litui et stridenti cornua cantu,
 186 tympanaque clamorque virum, atque hinnitus equorum.
 187 I felix, ne cede malis, ne defice duris
 188 in rebus, magno venduntur regna labore.
 189 Nec nisi post domitos, immania monstra, Gigantas
 190 Juppiter aetherea princeps regnavit in aula."
 191 Haec ubi dicta dedit, tumidarum rector aquarum
 192 Sequana, mox sese spumantibus abdidit undis.

> DE MUSA BONEFI, OB AMORES SILENTE. J. JACQUERIUS PARISIACUS.

P_53 v.1 Huc vos advoco, sacra turba vatum,
 2 nupta innupta cohors dicata Phoebo,
 3 vos o praecipue tenella turba
 4 quotquot nondum Hymen ad jugum vocavit,
 5 huc vos advoco. Concitatoris
 6 has capessite pectoris querelas.
 7 Bonefus tener ille, tersus ille
 8 Bonefus teneri lepos Phaleuci ;
 9 dum vixit suus, absque lege liber ;
 10 necdum percitus usque amoris oestro,
 11 donec connubii superba vincla
 12 tempsit : interea fluente vena,
 13 Musas usque furens, furensque Phoebum ;
 14 concinnat modo flosculos suaves,
 15 aut ludit lepidi jocos catelli,

16 aut spargit Venerum rosas virentes,
 17 vel promit segetem osculationum,
 18 vel nobis teneros polit Phaleucos.
 19 Ast ut Panchariden amare coepit,
 20 atque hoc nomine fascinata mens est :
 21 ubi injecta viro superba clari
 22 vincla connubii, interim vel omnes
 23 dum in una Veneres Dione ludit
 24 ultro jam genio superbiente
 25 vix sui memor, immemor suorum ;
 26 jam nec basia, flosculos nec ullos,
 27 nec rosas Venerum, aut jocos catelli,
 28 nec quidquam lepidi aut Catullientis
 29 huc transmittere curat ad sodales.
 30 Ah ! Mature adeo vale supremum
 31 das Musis simul et simul Phaleucis ?
 32 Quis hac forte ferat Bonefum amantem ?
 33 Quis illum quoque sic ferat maritum ?
 34 Hoc tu, Myro, probas ? Probas, Binete ?
 35 Hoc Duram deferes ? Ferant volent qui.
 36 At Musas pariter patremque Phoebum
 37 obtestor, potius nec ipse nubam,
 38 vel hac condicione nubam Amori,
 39 novus ne hospes Amor, Tyranni ad instar,
 40 sic foras abigat meas Camenas.

OPERA NONDUM EDITA.

DE MORTE OTHONIS TURNEBI.

P_54 v.1 Salvete Manes, aetheris novi cives,
 2 qui blandioris usque compotes oti,
 3 Jovis sodales, caelitumque convivae
 4 aevum beatum vivitis, quibus solem
 5 alium stupere clarus refulgenter,
 6 aurisque vesci purioribus fas est,
 7 salvete rursus, et perenne Turnebi
 8 valete Manes, numinis mihi semper
 9 instar futuri ; vos honore solemni
 10 placabo, vobis annua exsequar justa,
 11 pureque lotus, et toga nitens pura
 12 vobis odora dona thuris incendam,
 13 tumulumque ponam, terque voce conclamans
 14 vocabo Manes, et bona occinam verba.
 15 Musto, novoque lacte busta conspergam,
 16 novoque dicam lacte macte, Turnebe,
 17 mustoque macte, nec dabunt mihi finem
 18 ullum colendi numinis tui fata,
 19 dies nec ulla condet invida nobis
 20 oblivious te silentii nube,
 21 Cui prorogavit invidentibus fatis
 22 virtus senilis, multiplexque doctrina
 23 nomenque vivax, et superstitem famam.

24 At tu umbra magnis applicata Divorum
 25 choris, tuorum si quid aspicis luctus,
 26 nec caeca Lethes unda prorsus absorpsit
 27 quae cura vivo, quique amor fuit nostri,
 28 patriae jacenti da manus salutares
 29 opemque porridge, et vocatus in vota
 30 averte tandem saeva Apollinis <...> (vers lacuneux ?)

P_55 v.1 Quod tentare manu licentiore
 2 pictae virginis ausus est papillas,
 3 jure Paschassium Cupido vindex,
 4 vel picta voluit manu carere.

JACOBO DURANTIO CASELLIO.

P_56 v.1 Dum te beatae detinent Arverniae
 2 grati recessus, liberoque in otio
 3 capias, Caselli, blanda ruris commoda,
 4 nymphisque mixtus et jocosis Panibus,
 5 echo sonora provocas arundine,
 6 proculque vulgo, assertor et vindex tui,
 7 Musarum amico conquiescis in sinu,
 8 nos et "Sutelis", et tumultibus fori
 9 ingrata vexat jamdiu Lutetia,
 10 et mentis altos spiritus per turbidas
 11 traducit artes et profana jurgia,
 12 nos et forensi semper actos turbine
 13 volvit, revolvit. Tum, Caselli, praedico
 14 ter te beatum, cui benignus Juppiter
 15 favensque Apollo vocis "incentor" tuae
 16 frui quiete dant remota in villula,
 17 et litteratis otiari in litteris,
 18 si te otiari sit tamen fas dicere,
 19 qui clarus operum, qui laboris arduus
 20 abstrusa rerum litteris perennibus
 21 mandas, et alta vindicas caligine,
 22 quae laudet ille cura divum Scaliger
 23 meus, tuusque Scaliger, qui carmine
 24 faunos stupentes, et stupentes Naiadas
 25 trahis poetas unus inter principes.
 26 Quod heu ! Malignum sidus illuxit mihi
 27 ut ipse rostris, ut forensi pulveri
 28 addicarusque, nec tuos insistere
 29 mi liceat ausus, quem par ardor gloriae
 30 incessit, alto calcar addens pectori ?
 31 Quod quando nobis non dedere numina,
 32 at ipse certe de propinquuo litore
 33 tibi corollas, et tibi myrtos legam,
 34 tibique lauros et tibi pancarpias.

TUMULUS CLAUDII PUTEANI SENATORIS PARISIENSIS.

P_57 v.1 Vixit Claudius ergo Puteanus,

2 atque ad Elysias migravit umbras ?
 3 Eheu quantus honos togae forensi,
 4 quanta gloria, quanta lux adempta
 5 illi purpureae patrum coronae,
 6 illi juridico choro Catonum
 7 quos est imperium penes supremum,
 8 et legum moderamen, et potestas !
 9 Heu, quantum columen piis Camenis
 10 quantum praesidium, decusque raptum
 11 Musis ingenuis, et eruditis,
 12 quantus flos Patriae, omnibusque Gallis !
 13 Is vobis etenim, Patres, ademptus
 14 quo castus magis, integerque nullus
 15 erat legiferae Deae sacerdos,
 16 non servantior aequitatis ullus
 17 et magis rigidus, tenaxque custos.
 18 Qui non tam Tyrio decorus ostro,
 19 non tam murice purpuraque clarus,
 20 quam virtute sua suit coruscus,
 21 et candore animi atque puritate.
 22 Is est, Phoebe, tibi, is, Minerva, raptus
 23 qui portus profugis erat Camenis,
 24 erat perfugium et patens asylum
 25 doctis omnibus atque litteratis.
 26 Is qui vester honos amorque quondam,
 27 quo non alter erat magis peritus
 28 et Graiae et Latiae elocationis,
 29 non sagax magis alter, atque solers
 30 priscarum arbiter elegantiarum.
 31 Is, Lutetia, civis est ademptus,
 32 tibi is, Gallia, raptus est alumnus,
 33 quo nil clarius extulistiis umquam,
 34 quo nihil melius, nihilque majus.
 35 Memmios licet, et licet Budaeos
 36 tu, Lutetia gloriosa, jactes,
 37 jactes, Gallia, tu licet Pithaeos,
 38 Fauros, Brissonas, Hospitaliosque
 39 nostri lumina, principesque saecli.
 40 Ille denique sol ademptus orbi,
 41 orbi denique raptus ille Phenix
 42 cui nec est similis, nec est secundus.

JAC. GILOTO SENATORI PARIS.
 BONEFONIUM AD CONCINENDOS ALIQUOT CLAUDII PUTEANI MANIBUS VERSICULOS
 INVITANTI.

P_58 v.1 Ecquid solvere justa Puteano
 2 tu, qui justitiae sedes in arce,
 3 nec regni minimas tenes habenas,
 4 me, Gilote, jubes measque Musas
 5 ad tam nobile convocas feretrum ?
 6 An quem Virgilii aemulus Thuanus,
 7 an quem Scaevola, Scaliger, Rapinus,
 8 principes Heliconis atque Pindi,
 9 tam cultis numeris et eruditis

10 certatim celebrant, eum, Gilote,
 11 meas neniolas, eum minutos
 12 postulare putas meos Phaleucos ?
 13 Cum tot nempe lyrae gemente cantu
 14 haec lugubria fata prosequantur,
 15 Bonefi citharam silere turpe
 16 indignumque putas ; putas, Gilote,
 17 cui tot dulcisonae lyrae parentant,
 18 eidem quoque fas Bonefianam
 19 parentare chelyn. At ipse contra
 20 nam quid garriat inter hos olores
 21 raucus, stridulus, insuavis anser ?
 22 Aut quid addere gloriae, quid ejus
 23 possim laudibus, atque claritati,
 24 qui doctorum hominum per ora tantam
 25 sibi quaeasierit celebritatem,
 26 ut nil ille sciatur, nihilque norit,
 27 quisquis nesciat esse Puteanum
 28 Musarum decus atque litterarum,
 29 quisquis nesciat esse Puteanum
 30 doctrinae puteum, uberemque fontem ?

IN RESPONSIONEM ANTONII MATHARELLI ARVERNI,
 REGINAE MATRIS A REBUS PROCURANDIS PRIMARII,
 JOANNIS BONEFONII ARVERNI CARMEN.

P_59 v.1 Nescio qui gelidum Rheni projectus ad amnem
 2 exsul, in augustos reges sacrumque senatum,
 3 mille venenatae vibravit sibila linguae ;
 4 his populum aucupiis mulcens, cum indigna profanum
 5 audiat in proceres vulgus maledicta libenter.
 6 Cui tamen incauto obtrudit mendacia mille,
 7 historiae specie, nugas commentus aniles
 8 impius, immeritos qui sic Regesque Patresque
 9 vulneret, an demens ficto qui tegmine fraudes
 10 posse latere suas et inania somnia credat ?
 11 Quae subito advertens noster Matharellius, arte
 12 ingenioque sagax, animum sub vulpe latentem
 13 detexit vanus ne quem seduceret error.
 14 Non indigna tamen maledicta refundere in illum
 15 nec placuit dentem mordaci rodere dente.
 16 Illa decent animosque leves, rabiemque caninam.
 17 Sat fuit arcanas in vulgus promere fraudes,
 18 majorum melius ritus et jura docentem.
 19 Quantum nostra tibi, Matharelli, Gallia debet,
 20 qui confers omnes in publica commoda curas,
 21 cui non ulla dies, nec vitae deperit ulla
 22 portio ; das studiis, causis quodcumque recedit.
 23 Nec tibi sola tuis ut consultoribus adsis,
 24 et caveas, cura est : populis quoque cura docendis
 25 est tibi victuris aeterna in saecla libellis.

> AD JOANNEM BONEFONIUM, JACOBUS PINO SENATOR PARISIENSIS. 1603

P_60 v.1 Cur te carmine provocem Phaleuco,
 2 infelix ego, qui poeta non sum
 3 quaeres forsitan alme Bonefoni.
 4 Sensi numine percitum calorem
 5 et vates videor repente factus,
 6 ex quo contigit hospitari apud te
 7 ex quo lamina sancta adire vatis
 8 tunc voti reus, at deinde compos
 9 tantisper licuit diesque paucos
 10 tecum transigere. Ergo Musa gestit
 11 ad te pergere, versibusque tentat
 12 si possit, meritas referre grates
 13 tam grati hospitii, tuumque nomen
 14 ad Caelum lepido vocare versu.
 15 Ergo candida perge Musa Barrum,
 16 et magni pete Bonefonis aedes ;
 17 illum inter choreas novem Sororum
 18 cinctum Apollinea caput corona
 19 cantantem invenies, Apollinemque
 20 saltantem ad numerum : colenda primum
 21 tibi haec numina, dein pusilla surge,
 22 et quoscumque potes profunde versus.
 23 Nostrae non opis est referre dignas
 24 Phoebo, Castaliis, tibique grates
 25 hospes optime. Tu tamen merentem
 26 ne fac flocci animum ; lubensque sume
 27 grato ab hospite, grata quae poetis
 28 sunt munuscula : sume quos reponit
 29 recens hendecasyllabos Poeta.
 30 Sed non hendecasyllabos quibus te
 31 extremos maris evagata fines,
 32 dudum fama volans ad astra vexit ;
 33 et queis victa jacet superba Roma,
 34 de cunctis spolium ferens poetis.
 35 Non haec vis animo est, ut aemulari
 36 sperem tot Veneres, Cupidinesque
 37 quos nec Mercurius nepos Atlantis
 38 ausit, Pieridesve et ipse Phoebus.
 39 Sed quos hendecasyllabos alumnus
 40 haud dudum tuus audet experiri,
 41 dum salvere jubet tuas Camenas.
 42 Et quamquam illepidi, invenustulique
 43 si tu exceperis aequiore vultu,
 44 spiretque aura mihi tui favoris :
 45 ausim me in numerum referre vatum.

JOHANNIS BONEFONII IN VERSUS PRAECEDENTES.

P_61 v.1 Quid, o candide, quid, benigne Pino,
 2 tantis laudibus atque honore tanto
 3 jactas hospitium tui Bonefi ?
 4 Quid gestis adeo atque gloriaris,
 5 ac te denique praedicas beatum,

6 ex quo limina nostra contigisti ?
 7 Tu qui justitiae forique lumen,
 8 qui flos, qui decus ordinis togati,
 9 tu qui rex hominum politiorum
 10 eras hospitio ampliore dignus ?
 11 Fas contra mihi Pino gloriari,
 12 fas meam mihi praedicare sortem
 13 fortunasque meas, tibique grates
 14 quantas debeo maximas referre,
 15 quod angusta licet, licet pusilla
 16 dignatus fueris subire tecta.
 17 Nam quis major honos mihi meisque
 18 quam tui hospitii accidisse possit ?
 19 Aut quae gloria contigisse major
 20 quam quod hospitio bearis olim
 21 hos licet tenues meos penates ?
 22 Quos tu dum incoleres mehercle, Pino,
 23 non meum hospitium aut mei penates,
 24 non mea illa domus fuit, vel aedes ;
 25 sed certe fuit illa Gratiarum
 26 et Phoebi domus, et novem Sororum
 27 Astraeae fuit illa sacra sedes,
 28 fuit justitiae celebre templum.

EJUSDEM BONEFONII, IN EOSDEM VERSUS.

P_62 v.1 Quid ni carmine provokes Bonefum
 2 tu qui carmina tam polita condis ?
 3 Tam comptos numeros et elegantes,
 4 ut non, Pino, novum aut rudem poetam,
 5 infantem illepidum atque inelegantem,
 6 sed vel Ausoniae vetustiores,
 7 sed vel Ausoniae venustiores,
 8 possis carmine provocare vates ?
 9 Tu qui sive elegos eposve tentas,
 10 sive carmine molliore ludis,
 11 tam feliciter omnia experiris,
 12 ut non te in numerum referre vatsum.
 13 Non te adscribere maximis poetis ;
 14 sed te Pierii chori magistrum,
 15 sed te regem Heliconis atque Pindi
 16 fas sit dicere, principemque vatum
 17 quotquot prisca tulit recensque Roma.

NAENIA NICOL. RAPINI.

P_63 v.1 Ergo tu impia, tu scelestata Clotho
 2 tantum es ausa nefas, ut in Rapinum
 3 manus injiceres, virumque tantum
 4 mandares tenebris silentis Orci ?
 5 Virum quem prae aliis quibus superbis
 6 quibus Gallica terra gloriatur,
 7 alumnum illa suum beata jactat
 8 jactat ante alios suum poetam,

9 qui testudine, qui fide canora
 10 Gallos et Latios praeibat omnes,
 11 cujus dulce melos et est Thuanus
 12 miratus tities, et est Achilles
 13 est mirata sales, jocos, lepores
 14 cohors tota hominum politiorum :
 15 illum tu improba, tu maligna Parca
 16 ausa es falce tua ferite vatem,
 17 vatem tam eximium atque singularem ?
 18 At tantum scelus, impiumque factum
 19 et te Scaevela, Scaliger, Gutheri
 20 et te Savaro, Richelete, Durans
 21 quotque Castalias bibistis undas
 22 ulcisci decet atque vindicare.
 23 Decet fulmineos vibrare iambos
 24 in hanc sanguineam, impiam, cruentam,
 25 in hanc carnificem, hanc trucem Megeram,
 26 quae damnare neci ausa sit Rapinum,
 27 Rapinum Ausoniae Lyrae parentem.
 28 Quae mactare Jovi ausa sit poetam
 29 cui certare queat poeta nullus.
 30 Quid tu, Clotho ferox, nihilne vatum
 31 horres spicula, nil times iambos ?
 32 At tu reddideris nisi Rapinum
 33 nisi jusseris has redire ad auras
 34 tam carum caput atque tam cupitum.
 35 Non hi te hendecasyllabi suaves,
 36 non hi molliculi et leves phaleuci,
 37 sed te sanguinei manent iambi,
 38 manent spicula felle delibuta
 39 quibus Scaliger atque Richeletus,
 40 quibus Scaevela, Savaro, Gutherus
 41 te sic usque premant et insequantur,
 42 ut magno tibi constet in Rapinum,
 43 injecisse manus, nec ipsa posthac
 44 ausis falce tua ferire vatem,
 45 vatem tam eximium atque singularem.

> JANI BONEFONII TUMULUS, A JACOBO PINONE SENATORE PARISIENSI.

P_64 v.1 Adsta viator paululum, ac ne praeteri
 2 manes piorum, tu nisi impius sies.
 3 Teguntur isto conditi sub marmore
 4 magni Bonefi capsula cineres brevi.
 5 Si nescis illum, scire te nihil quoque
 6 par est decoris, et leporis, et salis,
 7 et gratiarum ; quidquid et Phoebus docet
 8 caros alumnos, quidquid et chorus novem
 9 stillat sororum parvulis infantulis.
 10 Namque hic Bonefus carminis venustuli,
 11 mollis Phaleuci singularis artifex,
 12 sic erudit, sic venuste concinit,
 13 sic eleganter cuncta, sic dilucide,
 14 ut eruditis eruditius nihil
 15 quidquam putetur, nil disertis dulcius

16 denique quibusvis artibus jucundius.
17 Ergo inficetus, ruris et plenus, nisi
18 Musis abhorres, hos pios manes cole
19 Barrique numen, ille cujus innocens
20 tenuit tribunal ; quaeque claret ossibus
21 ejus verendis nec superbit his minus
22 Maroniana quam Neapolis fovens.
